




**Michael. Baii ... Ad quaestiones Philippi Marnixij Sanct-Aldegondi De ecclesia Christi, & sacramento altaris  
Responsio. Eiusdem Epistola de statuum Inferioris Germaniae  
unione cum ijs, qui se desertores Romanae catholicae  
religionis vocant: & De iuramento, quod eorum iussu a? clero  
& monachis exigitur.**

<https://hdl.handle.net/1874/406953>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnde
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection**  
**Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


卷之三

卷之三












Theologia

Octavo n° 152.


152.










A









*pecc*  
MICHAEL BAI<sup>I</sup>  
REGII IN S. THEOLOG.

PROFESS. ACAD. LOVANIEN-  
SIS, AD QVAESTIONES PHI-  
lippi Marnixij Sanct-Al-  
degondi

DE ECCLESIA Christi, & Sacramento Altaris  
RESPONSIO.

Eiusdem Epistola de Statuum Inferioris Germa-  
niæ ynione cum ijs, qui se Desertores Ro-  
manæ Catholicæ Religionis  
vocant: &

DE IVRAMENTO,

Quod eorum iussu à Clero & Monachis exigitur.



COLONIÆ,

Apud Ludouicum Alectorium, & hæredes  
Iacobi Soteris.

ANNO M. D. LXXIX.

MICHAEL BAII

REGII IN THEOLOGIA

PROFESSOR ACAD ROMANIEI

EX LIBRIS GREGORII ORBIS EP

LIBRARIUS UNIVERSITATIS BR

1650

DEI CLEMENS DEI ET SANTISSIMI SS.

KAROLINI

PARVUS LIBER DE SENSIBUS IMPRESSIONUM CERTI

AC TACTUOSIS QM QD IN GESTATIONE F

IN CAVITATIBUS ET PUNCTIS

SECRETIS

DE TACTUOSITATE

QD TACTUOSIS ET TACTUOSIS



OPUS

AD HABITATIONEM ET CONSTITUTIONEM

IN CAVITATIBUS ET PUNCTIS

ET TACTUOSIS

*INDEX CONTENTO.*  
*rum in hoc libello.*

Quæstiones Philippi Marnixij  
Sanct-Aldegundi, de Ecclesia,  
& de Sacramento Altaris.

Respōsio ad priores Quæstiones,  
quæ sunt de Ecclesia.

Epistola Sanct-Aldegondi, de ea-  
dem responsione.

Responsio ad posteriores Quæsti-  
ones, quæ sunt de Sacramento  
Altaris.

Responsio ad Epistolam Sanct-  
Aldegondi.

Responsio ad obiectiones Sanct-  
Aldegondi factas cōtra respon-  
sionem ad quæstiones de Sacra-  
mento Altaris.

QVAE-

QVAESTIO-  
NES PROPOSITAE  
per Philippum Marnixium  
Sanct-Aldegondum. 14. Octo-  
bris Anni 1577. his verbis:

- A**N Ecclesia, eiusq; constitutiones, seu  
traditiones nullum habent apertissimorum  
aliud, nisi consuetudinem eorum, qui  
se profitentur Romanam sectari reli-  
gionem, quam vocant catholicam?  
An hoc apertissimum, si quod aliud est, constet pagina  
sacrae scripturae sola?  
An patrum explanationibus &  
commentariis?  
An conciliorum decretis?  
An pontificum Romanorum pla-  
citu?  
An Scholasticorum pronuncia-  
tio?  
An pasim sequatur, ut ait Satyricus, coruostestlaq;  
lutoq;  
An Ecclesia tribuat autoritatem verbo Dei. an pe-  
rius verbum Dei Ecclesia autoritatem atque a-  
xioma conferat?

quoru,qua,  
& cuius au-  
thoritate  
confirmata-  
torum, seu  
approbato-  
rum?

De verbis Sacramenti cœnæ  
Domini.

An hec verba [Hoc est corpus meum] contineant  
propositionem identicam, atque idem significan-  
tem,

rem, quod: corpus meum est corpus meum.

An vero attributum corporis, attribuatur subiecto significato per pronomen, hoc, tanquam diuerso a suo attributo? Et si attribuatur tanquam diverso, an attribuatur substantiae, ita ut hec verba (hoc est corpus meum) idem significant atque, hoc est substantialiter, ut ita dicam: corpus meum?

An potius attribuatur sacramentaliter, ita ut ea verba nihil aliud significant, nisi, hoc est sacramentaliter corpus meum, seu corpus meum dicitur de hoc, quod vobis do, plane ut sacramenta dicuntur de rebus quas significant, & sua institutione demonstrant, quemadmodum Augustinus in libello de doctrina Christiana docet, sacramentum fidei, fidem esse; & sacramentum corporis, corpus, & sacramentum foederis, fædus, & sacramentum verbi Dei, ipsissimum verbum Dei, non quidem substantia, sed usu, institutione, representatione, ac significatiuissima exhibitione ante oculos fidei?

Quo argumento doceatur vocem, est, in hac circumstantia significare substantialitatem? liceat enim ita loqui.

An hoc ipso argumento tanquam <sup>modo</sup> non possit formari certa atque indubitata ratiocinatio per propositionem generalem, quo argumenti vis possit & rectius intelligi, & certius inducari?

Exempli gratia.

Vbicunque vocula, est, coniungit prædicatum cum subiecto in hac vel in eiusmodi circumstantia, rationes accipitur substantiae, &c. in hac propositio-

se vocula, est, coniungit prædicatum corporū,  
cum subiectio pronominis demonstratiui, hoc, &c.  
ergo, &c.

An explicatio horum verborum dsbeat aut possit a-  
liunde sumi, quam ex ipsis Christi aut Euange-  
listarum verbu?

An illa propositio de calice; hoc poculum est nouum  
testamentum, seu sœdus (diocesis enim utrumque  
hic significat, ut Hebreis, Berüh) in meo sanguine;  
& illa, hic est sanguis nostri testamenti, non idem  
significent, & se mutuo significanter explicit?

Ac proinde an non penitus eadem sit ratio in pane,  
ut ha prepositiones, hic panis est nouum testamen-  
tum, seu sœdus in meo corpore, &, hoc est corpus  
meum: & item, hic panis, quem frangimus, est  
nouum via corporis Christi: & hic panis, quem fran-  
gimus, est corpus Christi, idem significant, & se  
mutuo significanter explicit?

Item an pronomen, hoc, aliud significet, quam idip-  
sum quod uno ore omnes Euangelistæ testantur  
Christum accepisse, fregisse, deditè discipulis, &  
iusisse ut acciperent & comedenter?

An Paulus primæ Corinhiorum decimo, cum hunc  
panem nominat, & panem quem frangimus diser-  
te explicat, aliud sacramenti subiectum statuar,  
atque Christus, vel ipse Paulus 1. Corin. 11. pro-  
nomine, hoc, vult significari, quod omnes Euange-  
listæ testantur, suisse panem, quem Christus fre-  
git, & dedit, & de quo denique locutus est?

An in propositione de calice, non eadem sit subiecti  
ratio, atque in ea, qua est de pane, ac proinde cum  
subiectum in propositione, & oratione de calice

non solum demonstretur pronomine, hoc, sed plane & diserte nominetur τοῦ τοῦ τὸ τὸ θεοῦ, vel fructus ac genimen vitis, non eadem sit ratio in pronomine, hoc, quod usurpatur in propositione de pane, ita ut hoc, idem significet, quod hic panis, vel hic fructus tritici de multis coadunatus granis?

Si subiectum positum in hac propositione, hoc est corpus meum, mutetur, vel mutatum fuit a subiecto panis, quod Euangelista testatur Christum accepisse, fregisse, & dedit, quando mutatum fuit, qua vi, quo Domini mandato, quo diuini verbis argumento?

Quae sit analogia unionis corporis Christi cum ecclesia, declarat & prima Corinth. decimo, si nulla est panis vel vini reliqua substantia?

Quomodo veteres docuerunt eandem aut similem esse transformationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, qualis erat aqua admixta vi no in populum Christi, eius corpori persicidem conglutinatum?

R E-

# RESPONSIO AD PRIORES

*Quæstiones, quæ sunt  
de Ecclesia.*



OMINVS de VVig-  
nacourt mihi haçtenus &  
de nomine & de facie ig-  
notus, sed tuæ generosi-  
tati, vt intelligo, affinita-  
te coniunctus, Genero-  
fissime atque eruditissime Sanct-Algon-  
de, multas mihi quæstiones obtulit, quas  
aiebat tractandas, atque soluendas ad me  
per te transmitti: facile fuisset ætate, quo-  
tidianam prælectionem, & negotiorum  
turbam, quibus quotidie in Vniuersitate  
Louaniensi, in Ecclesia sancti Petri, & in  
Collegio nostro Pontificali interpellor,  
& distrahor, excusare; sed in re tam pia,  
tamq; patriæ vtili, si forte dignaretur Deus  
in te operari, quod magnopere exopto,  
quodque quotidianis precibus instanter  
ab eo postulo, nolui dilationem querere,  
confidens quod is, qui tibi hunc querendi  
affectum indidit, etiam mihi suggesteret, me-  
que docebit quid & quomodo responde-  
re de-

M. BAI I RESPONSIO.

re debeam, ut tibi in bonum cooperetur  
mea responsio: vtrumq; enim Deidonum  
est, & veritatem syncerè, hoc est, non con-  
tendendi, sed sciendi studio atque intenti-  
one querere, & illam inuenire, inuentam-  
que sic proponere, ut honorifice suscepta,  
debitam suo authori gratiarum referat a-  
ctionem. Ne autem mora & responsionis  
prolixitas tibi forte molesta sit, si distille-  
ro eam mittere, donec vniuerlas quæstio-  
nes absoluero, decreui primum ijs tantum  
respondere, quæ de Ecclesia proponun-  
tur, & responsionem hanc mittere, ut co-  
gnito quomodo tuæ eruditioni satisfec-  
rit, alacrius reliquarum tractationem ag-  
grediar & prosequar: idque non carpiū  
& seorsim de singulis quæstionibus dissc-  
rēndo, sed uno quodam tenore sermopis,  
quia quæstiones ita inter se conuenienti  
ordine contextæ sunt & coadunatæ, ut ipsa  
carum dispositio id omnino postulare vi-  
deatur. Quod si forte non per omnia tuæ  
intentioni satisfecero, non propterea de-  
bes de aſſequenda veritate desperare. Non  
potest homo accipere quicquam, nisi da-  
tum fuerit ei de cælo; sed quod hodie no-  
bis clauditur, potest cras petentibus, & ad  
aures diuinæ misericordiæ pulsantibus a-  
periri, aut per eloquia sanctorum scriptu-

*Ioannis 3.*

AD QVAEST. SANCT. ALDIEG.

rarum, aut per sermocinationes fratrum,  
aut per internam diuinæ inspirationis gra-  
tiam, vbi sine sonis verborum, sine elemen-  
tis literarum veritas ipsa tanto dulcior,  
quanto secretius loquitur;

Quæreris igitur:

An Ecclesia, eiusque constitutiones, seu traditiones  
nullum habeant scriptor alium, hoc est, vi inter-  
pretor, iudicium, seu ex quo iudicentur, nisi con-  
suetudinem eorum, qui se profitentur Romanam  
sectari religionem, quam vocant catholicam?

An hoc scriptor, si quod est aliud, constet pagina sa-  
cra scripture sola?

An patrum explanationibus, & commentarijs?

An conciliorum decretis?

An Romanorum Pontificum placitis?

An Scholasticorum pronunciatis?

An passim sequatur, vt ait Satyricus, cornu testa-  
que, lutoque?

An ecclesia tribuat autoritatem verbo Dei, an po-  
tius verbum Dei ecclesia autoritatem atque axi-  
oma conferat?

Ad primam & secundam quæstionem  
clarissime respondet Aug. cap. 2. lib. de Vni-  
tate ecclesiæ his verbis: Inter nos & Dona-  
tistas questio est, vbi sit ecclesia; quid ergo  
facturi sumus? in verbis nostris eam quæsi-  
turi, an in verbis capitilis sui Domini nostri  
Iesu Christi? Puto quod in illius verbis  
cam

eam quærere debemus, qui veritas est, & co-  
ptime nouit corpus suum, nouit enim Do-  
minus qui sunt eius. Et cap. 3. eiusdem li-  
bri; Non audiamus, hæc dico, hæc dicis:  
sed audiamus, hæc dicit Dominus: sunt li-  
bri Dominici, quorum authoritati vtrique  
consentimus, vtrique credimus, vtriq; fer-  
uimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discus-  
tiamus causam nostram. & infra: Nolo hu-  
manis documentis, sed diuinis oraculis san-  
ctam ecclesiam demonstrari; id quod in re-  
liqua parte libri diligenter exequitur. Pri-  
mum quidem varias futuri regni Dei figu-  
ras insinuans, sed tamen nolens ijs, quæ ab  
ingeniosis hominibus hue atque illuc con-  
uerti possunt, suam disputationem com-  
mittere: statim transit ad scripturas vñteris  
testamenti, quæ maiori evidentia prænun-  
ciant, futurum Christi regnum non vno a-  
liquo angulo constituendum, sed toto or-  
be terrarum diffundendum, quam preñun-  
ciant mundi Salvatorem aliquando ventu-  
rum. Deinde transit ad scripturas noui te-  
stamenti, quibus cuiderit ostēdit, id toto  
orbe terrarum post Christi resurrectionem  
impletum, quod varijs figuris & manifestis  
prophetijs de ecclesia Christi toto orbe ter-  
rarum diffundenda fuerat ante prædictum.  
Longū esset ipsas vtriusq; testamēti scriptu-  
ras

AD QVAEST. SANCT ALDEG.

ras sacras prosequi, & quantum mihi apparet superstuum, quia in iam dicto D. Augustini libello de Vnitate Ecclesiaz, tam convenienti ordine disponuntur, tanta eruditione atque perspicuitate disseruntur, vt per me aut alium quempiam similem aliquid velle adiucere, potius sit eas obscurare, quam illustrare. Itaque, vt compendio utar, ego eruditionem tuam ad iam dictum libellum remitto, ex quo etiam non tantum perspicies, iudicium de Christi ecclesia ex scripturis esse petendum, sed etiam quod ex sola scriptura peti debeat. Quanquam, sicut eruditissima prudētia tua non deditur meae tenuitatis obsequio velle vti, vt in scripturis sanctis verum de Christi ecclesia iudicium cernat; sic etiam mirari non debet, si veri fideles, vt ex scripturis sanctis de eadem ecclesiā verum iudicium accipiant, eorum se studio, diligentia, & testimonio iuuare conentur, qui præ ceteris à Deo vera sapientia ditati fuissē creduntur. Cuiusmodi fuit D. Augustinus, de quo scribit Prosper in carmine contra ingratos; quod cùm nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi omnia, & in sancto agnat sapientia templo. Fuerunt & alij toto orbe notissimi, quorum studio & authoritate ad hanc rem iuuari possumus. Ad eundem v-

sum

M. BAII RESPONSIO.

sum referenda existimo Conciliorum de-  
creta, placita Romanorum Pontificum, &  
pronunciata Scholaisticorum, quibus ta-  
men Scholaisticis, ut verum fatear, subinde  
plus tribuerem, si magis scripturis sanctis  
incumbentes, ex philosophorum gentiliū  
tenebris non tam multa emblemata suis  
disputationibus intexerent. Quæstio au-  
tem, qua queritur: An Ecclesia verbo Dei,  
an potius verbum Dei ecclesiæ authorita-  
tem & dignitatem tribuat? similis est quæ-  
stioni, qua quereretur: An Christus in eu-  
angelio autoritatem Ioanni Baptistæ tri-  
buerit, dicens: Inter natos mulierum non Math. ii.  
surrexit maior Ioanne Baptista; an vero  
Ioannes Christo, cùm ait: Ecce agnus Dei, Ioannis 1.  
ecce qui tollit peccata mundi: hic enim ve-  
nit in testimonium, ut testimonium perhi-  
beret de lumine, ut omnes crederent per il-  
lum. & discipuli Ioannis: Qui erat trans Ioannis 2.  
Iordanem, cui testimonium perhibuisti (in-  
quiunt) hic baptizat. Nam in quantum  
per testimonium Ioannis, qui fuit vitæ ad-  
mirabilis, inducti sunt homines, ut in Chri-  
stum crederet, negare non possumus, quin  
Ioannes apud homines, qui propter infir-  
mitatem verum lumen, quale in se est, vide-  
re non poterant, sed tanquam in nocte  
constituti lucerna egebant, ut fontem lu-  
minis

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

Ibid. 5. f

minis cernerent, aliquam Christo authoritatē tribuerit, licet Christus hoc testimonio non indigerit, sicut apud Ioannē prosequitur, cum ait: Vos misistis ad Ioannē, & testimonium perhibuit veritati: ego autem non ab homine testimonium accipio. & infra: Ego habeo testimonium maius Ioannē, opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me, & qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me. Sed quia Ioannes lucerna tantum fuit, luce lucens aliena, quæ vero lumine destituta, statim ad tenebras suas recidisset, ideo longè conuenientius dicitur, quod Christus, qui est vera lux, quæ tenebrescere non potest, & lumen, & autoritatem, & dignitatem Ioanni tribuerit, quam contra.

I. Tim. 3.

Simili modo etiam quia testimonio patrum, & totius Ecclesiæ inducimur, ut licet veritatem in se cernere non possimus, attamen scripturas canonicas pro sacrâ & diuinis habeamus, rectissimè dicitur, quod patres, & Ecclesia Dei viui, quæ est columna & firmamentum veritatis, non quidem lumen & veritatem, sed apud fideles & multos infideles, qui eius testimonio commouentur, autoritatem tribuat. Sed quia scriptura

M. BAII RESPONSIO.

ptura sacra, quæ nec falli potest, nec fallere, ipsam veritatem in te continet, Ecclesia vero non nisi veritate in scripturis sanctis descripta illuminatur, & sibi derelicta facile posset in suas tenebras relabi, ideo conuenientius dicitur, quod scriptura sacra ecclesiæ Christi authoritatem & dignitatem tribuat, quam contraria.

De constitutionibus ecclesiæ hoc solum dico, quod ubi regnum agnoscitur, ibi non possunt constitutiones negari, cum omne regnum pro suo regimine constitutiones habeat. Porro Ecclesiam Christi regnum esse agnoscit, non tantum Daniel in prophetia sua, dicens: quod suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur; sed etiam Ioannes Baptista, & Christus ipse, cum aiunt: Pœnitentiam a-<sup>Matth. 3.</sup> gite, appropinquabit regnum cœlorum. Facile possent hæc longè fusi & copiosius ex scripturis sacris differi, sed puto id acutini ingenij tui minus congruere, quod Deus in ijs quæstionibus illustrare dignetur, in quibus aut caligare, aut saltem adhuc haerere videtur. Bene vale Generosiss. atque Eruditiss. Domine. Louanij 22. Octobris 1577.

EPI.

EPISTOLA PHILIPPI  
Marnixij Sanct-Aldegondi de  
suprascripta responsione.



Itera tuae eruditionis ne an benevolentia  
atque humanitatis pleniores, Reueren-  
de D. Doctor, ita mibi fuere grata, ut  
quod omnium est gratissimum. Fuit e-  
nun iucundum a tali ac tanto viro, quem sciebam  
negotiorum ac laborum ingenii propemodum mole  
obrui, etiam tamen mihi praestari opera, quae posset &  
ad Dei gloriam promouendam, & ad fidem corro-  
borandam esse vehementer utilis. Sed multo etiam  
fuit iucundius in grauiissima quaestione, quam ego  
omnium nostrarum controvistarum tantum non  
cardinem ac fundamentum pricipuum esse semper  
sum arbitratus, prope ad amissim nos consentire.  
Itaque ago, mi Domine, gratias tibi pro hoc benefi-  
cio, meumque studium atque operam, si qua in re  
commodare aut prodeesse potero, tibi, tuisque polli-  
ceor; & humanitate ista tua fretus, pergo in priori-  
bus quaestionibus reliquos, si qui restant, scrupulos  
enodare, & simul responsonem ad posteriores depos-  
cere. Quantum igitur ex tua, imo potius Augustini,  
sententia possim conidere, omnino ita sentis, vni-  
cum Ecclesiasticarum traditionum <sup>κριτηριον</sup>, vnicum  
lapidem Lydum atque iudicem esse verba Domini  
nostrri Iesu Christi tradita sacre scripturae, disertis  
paginis, nec audiendum esse: Hoc dicit Augustinus, hoc dicunt Donatistae, sed hoc dicit Dominus: & in  
libris Dominicis: quibus virique credimus, virique  
affen-

EPIST. SANCT. ALDEG.

assentimur, quærendam esse ecclesiam, causamque omnem nostram & controuersiam discutiendam. Denique iudicium de Christi ecclesia, eiusque doctrina, & sacramentis, (hoc enim ex priore necessario efficitur) ex sola scriptura peti debere. In hoc certe ego tibi per omnia planissime assentior, ac vere ita statuo, si hoc ipsum impetreremus, facile reliquias omnes controuersias ac nullo negotio iri compositum. Ut enim post Paulum ait Athanasius, sufficiunt sanctæ ac diuinitus inspiratae scripturae, ad omnem instructionem veritatis. Quamobrem et si libens confiteri, quod ait, veros fideles, ut ex scripturis sacris de Christi ecclesia verum iudicium accipient, eorum se studio, diligentia, & testimonio iuuare, qui præcateri vera sapientia a Deo daturi suisse creduntur, inter quos ego Augustinum non grauare reposuerim; tamen illud cum Chrysostomo liceat contendere, multos quidem Spiritum sanctum iactare, sed qui propria loquantur, falso illum prætendere; ut enim Christus non a seipso loqui se testatur, quia ex lege loquebatur & prophetus: ita si quid præter euangelium sub titulo Spiritus sancti obtruditur, non credamus, quia sicuti Christus legis & Prophetarum impletio est, ita spiritus Euangeli. Deinde & hoc addo, quod Augustinus, eiusque similes, vera a Deo sapientia præcateris daturi suisse credantur, id non aliunde suisse adeptos, nisi quod scripturis, quæ sola hanc sapientiam uberrimo latice profundunt, & sole hominem reddunt ad salutem eruditum, per fidem in Christo Iesu, consentanea & senserint, & scriperint. Quo enim quisque proprius ab hoc fonte suos irrigat doctrinarum tubos, eo puriori certe lim-

## EPISTOLA

pha lectionem quisque reficit: quo vero remotius, eo inquinatiore ita ut qui se longissimo interuallo ab eadem continent, iam non inter pios & sinceros Ecclesiae doctores, sed inter hereticos, & scripturarum depravatores connumerentur, cuius cum eadem penitus sit in Conciliis, Pontificum decretis, & Scholasticorum placitis statuenda ratio, non est quod verear cum Augustino pronunciare: Nec ego Nicenam synodum tibi, nec tu mihi Ariminensem debes, tanquam praeteditus, obijcere, nec ego eius auctoritate, nec tu illius detineris, scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque proprijs, sed quae virisque sint communes, rescum re, causa cum causa, ratio cum ratione certer. In summa hoc inter nos conueniat, doctrinae Apostolice, & Propheticae, cui soli innixa est ecclesia, iudicium omne ad scripturam sacram esse reuocandum, omniaque omnium vel patrum dogmata, vel conciliorum decreta, vel Pontificum placita, vel Scholasticorum axiomata, non aliter esse accipienda, nisi quatenus huic scripturae sunt consentanea.

Quod ad alteram questionem attinet: An Ecclesia verbo Dei, an potius verbum Dei Ecclesiae auctoritatem tribuat? ita mihi per omnia satisfecisti, ve non potuerim istum tuum candorem non vehementer exosculari. Ne tu per quam erudite ac pie responsum tuum comparatione Ioannis Baptiste cum Christi doctrina confirmasti, ita ut in hoc capite nulla restet inter nos controuersia.

Postremum tantum Epistola tua caput, de constitutionibus Ecclesiae, vellem paulo dilucidius explicasses.

## SANCT. ALDEGONDI.

tasses. Ais enim ubi regnum agnoscitur, non posse negari constitutiones: quod certe libenter damus, sed simul addimus, ab ipso rege in quoque quidem regno constitutiones debere proficiunt; sed maxime certe in Christi Ecclesia, in qua Christus ita regem agit, ut simul sit & corporis caput, & sponsæ maritus, & ouium pastor, ita ut unus eius vocem audiant omnes, imperium accipiat sponsa, spiritu vegetentur ac mouentur membra, constitutionibus denique obtemperet populus: Ipse enim unus est, de quo dicitur est: Hunc audite, ac proinde semper atque indefessa seculorum continuatione resonauit, ac resonat in auribus ecclesiæ ista regis unius lex ac mandatum: Quod præcipio tibi, hoc obseruabis ut facias, non addes quicquam, nec detrahes. & illa: Non addes ad verbum Domini, nec minuas ex eo, ne te forte arguat inueniaris que mendax. item: Audiendo audite vocem meam, & ero vobis Deus, & eritis mihi populus, & ambulabitis in omni via quam, mandauerò vobis. Item: Nunquid vult Deus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci sua? melior est enim obedientia quam, victima, & auscultare magis quam offerre adipem arietum, quin quasi peccatum ariolandi non auscultare, & quasi idololatriæ iniquitas non acquiescere. & item: In constitutionibus pauperum vestrorum ne ambuletis & iudicia eorum seu decreta ne obseruetis, & pollutionibus eorum ne confusurumini, ego enim sum Iehova Deus vester: in constitutionibus meis ambulate, & decreta mea seu iudicia obseruate, & facite ea, aliaeque scriptura, quibus induxit patres infinitis locis affirmarunt, quicquid non esset manifesto Deo

EPISTOLA

verbo' fundatum , habendum esse pro sacrilegio ; nec enim in villo ferendum est regno , rege viuo , ac regnante , ac iussa sua ex sacrarum tabularum præscripto dictante , a quoquam alio legem , constitutionemque sanciri . In quo si te habebo , quod certe tua mentis ac iudicij perspicuitate , & simul eruditio nis ubertate refretus confido , ad stipulatorem , nihil planus restat amplius in priori de Ecclesia questione , quod habeat scrupulum : ac proinde rogo , ut ad posteriores de Sacramento interrogaciones , tuam primo quoque tempore audiam sententiam .

Yale , datum Bruxella quinta  
ta Nouem. 1577.

Reuerentia tuae studiosissimus

Philippus de Marnix.



R E

# RESPONSIO

## AD POSTERIORES

Quæstiones, quæ sunt de venerabili Eucharistia Sacramento.



V M nondum acceptis  
tuis literis, ex quibus co-  
gnoscerem, quomodo  
priores Responsiones ac-  
cepisses, inciperem de tra-  
ctandis reliquis quæstio-  
nibus cogitare, Eruditiss. D. Sanct-Alde-  
gonde ( metuebam enim ne actionibus  
publicis plus satis occupato, non vacasset  
tam cito responsiones meas legere & diju-  
dicare ) decimanona huius oportune su-  
peruererunt mihi binæ tuæ literæ, quæ mul-  
tis de causis, quas lögum esset psequi, mihi  
iucundissimæ fuerunt; Nam licet videam  
non deesse, in quibus adhuc conferre de-  
beamus, & Deo iuuante conferemus, atta-  
men confidens in eo, qui habitare facit v-  
nanimes in domo, & sollicitos reddit ser-  
uare vnitatem spiritus in vinculo pacis, spe-  
ro nos de omnibus collatuos, absque omni  
amaritudine, & animi contentione. Ser-  
uum

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

um enim Domini non oportet litigare,  
sed mansuetum esse ad omnes, docibilem,  
patientem, cum omni modestia corripien-  
Philip. 4. tem eos, qui resistunt veritati. &: Mode-  
stia vestra nota sit omnibus hominibus,  
inquit Apostolus. In primis autem me ex-  
hilarauit, quod senferim tibi ostensum à  
Domino, quæstionem de Ecclesia versari  
circa unum ex præcipuis cardinibus seu fun-  
damentis nostræ religionis. Nam in duo-  
rum hominum causa propriè fides Chri-  
stiana consistit: unius, in quo lapsi, cœci  
& mali facti sumus: alterius, in quo repa-  
ramur. Porro in eo in quo reparamur, non  
tantum agnoscendum est caput, de quo  
Act. 4. Col. 2. scriptum est: Omnis quicunque inuoca-  
uerit nomen Domini, saluus erit; &, Non  
est in aliquo alio salus, nec enim est aliud no-  
men datum hominibus, in quo oporteat  
nos saluos fieri; sed etiā corpus, extra quod  
Ieremias 3. salus esse non potest, dicente Christo: Ne-  
mo ascendit in cœlum, nisi qui descendit  
de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo; ca-  
put videlicet cum corpore. nam si solum  
caput ascenderet in cœlum, omnes nos in  
terra remaneremus, & tandem in infer-  
num mergeremur. Porro sicut caput quod  
nascendo possum est in rugham, & in si-  
gnum cui contradicitur, non tantum à fi-  
Lxx. 2. ljs

M. BAI I R E S P O N S I O.

lijs suis semper agnatum fuit, & creditum,  
sed etiam suo tempore in terris visum, & à  
reliquis membris certa fide discretum, di-  
cendo: Tu es Christus filius Dei viui, qui Math.16:13  
in hunc mundum venisti; sic etiam corpus  
Christi, seu manifestum eius regnū à Patri-  
archis & Prophetis semper creditum fuit,  
& ab ijs, qui post Christi ascensionem, mis-  
so Spiritu sancto, Christi Euangelium to-  
to orbe terrarum disseminauerunt, aut dis-  
seminari viderunt, vsque in hunc diem sem-  
per visum fuit, & ab omnibus schismatis  
certa fide discretum, dicendo: Hæc est do-  
mus Domini firmiter ædificata super fir-  
mam petram. De qua re, ne longum faciam  
sermonem, oro ut digneris legere sermo-  
nem quartum, & septuagesimum primum  
in fine D. Augustini, inter sermones Loua-  
nij impressos, quorum exemplar vnum  
transmitto, ne fortè non sit apud vos in  
promptu.

Nunc super est ut responsiones breuissi-  
mas ingenio & occupationibus tuis ac meis  
accommadas, quantum Dominus largiri di-  
gnabitur, reliquis quæstionibus adhibere  
concur, quarum primæ sic habent:

An *hæc verba*, (*hoc est corpus meum*) contineant  
propositionem identicam, utque idem significan-  
tem *quod corpus meum est corpus meum*?

AD QUEST. SANCT. ALDEG.

An vero attributum corporis tribuatur subiecto significato per pronomen, hoc, tanquam diuerso a suo attributo?

Et si attribuatur tanquam diuerso, an attribuatur substantiue, ita ut hec verba, (hoc est corpus meum) idem significant atque, hoc est substantialiter, ut ita dicam, corpus meum?

An potius attribuatur sacramentaliter, ita ut ea verbahit aliud significant, nisi, hoc est sacramentaliter corpus meum, seu corpus meum dicitur de hoc quod do vobis, plane ut sacramenta dicuntur de rebus quas significant, & sua institutione demonstrant: quemadmodum Augustinus in libello de doctrina Christiana docet, Sacramentum fidei, fidē esse; & Sacramentū corporis Christi, corpus; & sacramentū sacerdotis, sedes; & sacramentū verbi Dei, ipsissimum verbum Dei, nō quidem substantialia, sed vsu, institutione, representatione, ac significantissima exhibitione ante oculos fidei?

Quo argumento doceatur vocem, est, in hac circumstantia significare substantialiter? liceat enim ita loqui.

An hoc ipso argumento tanquam ~~ut~~ non possit formari certa atque indubitate ratiocinatio per propositionem generalem, quo argumenti vis possit et rectius intelligi, & certius iudicari.

Exempli gratia.

Vbicunque vocula, est, coniungit praedicatum cū subiecto in hac vel eiusmodi circumstantia, toties accipitur substantiue, &c. in hac propositione vocula, est, coniungit praedicatum corporis cum subiecto pronominis demonstrativi, hoc, &c. ergo, &c.

R E S.

M. BAII RESPONSIO.

RESPONSIO.

Propositionem identicam vocamus, nō quando attributum & subiectum pro eadem re particulari accipiuntur, pro qua verificatur assertio; nam alioqui enunciatio generis de specie, speciei de individuo, & accidentis de subiecto, essent propositiones identicæ: ut, lapis est substantia, Petrus est homo, & Cicero est orator: sed vocamus propositionem identicam, quando res eadem sub eodem nomine, aut saltem sub synynomio de seipsa enunciatur: ut, corpus meum est corpus meum, gladius est ensis. Quamobrem dicendū non est, quod hæc Christi assertio: hoc est corpus meum, sit identica propositio, etiamsi vera esse nequeat, nisi attributum & subiectum pro aliqua eadem re particulari accipiantur, pro qua fit verificatio: sed dicendum, quod sit enunciatio communis attributi de singulari subiecto. Nam licet Christus unicum corpus habuerit, attamen etiamsi viginti corpora habuisset, de quolibet dicere potuisset, hoc est corpus meum. Ex quo intelligimus vocem, meum corpus, sicut meus digitus, communem esse, non singularem. Porro enunciationes simplices, in quibus alterum de altero mediante verbo substantiuo, est, enunciatur, sunt in du-

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

plici genere; aliæ enim proferuntur intentione asserendi id quod est, quando eiusmodi propositio inchoatur, vt lapis est corpus, Petrus sedet: Aliæ verò proferuntur non intentione asserendi id quod est, quando ipsa enunciatio incipit proferri; sed intentione faciendi id quod eiusmodi enunciatione significatur, & quod tunc primum erit, quando ipsa enunciatio prolatâ fuerit: Vt si quis demonstrato agro proprio, cuiquam alteri diceret, hic est ager tuus, non intentione asserendi quod non est, sed intentione faciendi, vt id sit quod dicit; hoc est, vt ager qui dicenti proprius est, alterius efficiatur, eiusmodi enim sermonibus apud Iurisconsultos aliquando intelligitur fieri dominiorum & possessorum translatio. Talis sermo videtur esse apud Lucam, cùm ait Christus: Homo, remittuntur tibi peccata tua. & rursus: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. &: Filius tuus viuit. Non enim volebat Christus asserere quod erat prius quam haec dicebat, sed id facere quod dicebat: nec dubium est, quin tali sermone contentus fuisset Céturio, cùm à Domino poscēbat, vt diceret verbo, & sanaretur puer eius, hoc est, vt diceret: Filius tuus viuit, vel filius tuus sanus est, quem Dominus sine omni

Luc. 5.

Luc. 7.

M. B A I I R E S P O N S I O

in verbo sanavit. Ceterū quia nos nostris sermonibus substantias mutare non possumus, ideo exempla enunciationum posterioris generis, quibus substantia in substantiam transmutatur, non in nostris, sed in Christi sermonibus sunt petenda.

Verbi gratia: Si Christus in nuptijs volens <sup>Ioannus 2.</sup>

ex aqua sex hydrijs contenta vinum facere, his verbis usus fuisset, (hoc est vinum:) <sup>Matth. 4.</sup>

similiter si voluisse diabolo acquiescere potenti ut diceret lapidi huic, ut panis fiat, atque id his verbis effecisset, (hic est panis) non intendisset his duabus enunciationibus, videlicet, hoc est vinum, &c, hic est panis, asserere, quod aqua hydrijs contenta, & hic lapis, (quæ tunc extabant cum has enunciationes proferre coepisset,) fuissent vinum & panis, quia id manifeste falsum fuisset, sed intendisset facere ut prolatis verbis id esset, quod dicebat; & hoc dicendo significare, ea quæ ex aqua hydrijs contenta, & ex hoc lapide demonstrato fecisset, esse vinum, & panem; quasi dicat, hoc quod ex aqua hydrijs contenta facio, vinum est: & hoc, quod ex hoc lapide facio, panis est. Simili modo, quando ait Christus, hoc est corpus meum. &c, hic est sanguis meus; non intendit asserere quod panis & vinum, quæ tunc praesentia habebat

cum

M. BAII RESPONSIO.

cum hæc incipiebat dicere, essent corpus & sanguis eius, quia id falsum est; quod ne sit, omnino credendus est intendisse ex pane et vino corpus & sanguinem suum efficere. & in illis duabus enūciationibus, hoc est corpus meum. & : hic est sanguis meus; pronominā hoc & hic, non referuntur ad panem & vinum, quæ ante prolationē harum duarum enuntiationum prius fuerunt, (sicut inteligerentur referri, si tantum intentione assertendi proferrētur, quod Christus facere non potuit, quia nō potuit falsum dicere,) sed referuntur ad hoc corpus, & hunc sanguinem, quæ iam dictis verbis, Christo hoc intēdente efficiuntur, quasi dicat: hoc quod ex hoc pane facere intendo, & facio, est corpus meum : & hoc quod ex hoc vino facio, est sanguis. His diligenter cōsideratis, facile est ppositis quæstionibus respōdere, quod hæc verba: hoc est corpus meum, non contineant propositionem identicam, atq; idē significātem quod, corpus meum est corpus meum; sed id significantem quod diximus, nempe: hoc quod ex hoc pane facio, est corpus meum; quodque attributum, corpus, tribuatur subiecto significato per pronomen, hoc, non tanquam diuerso à suo attributo, sed tanquam rem eandem singularem significanti, nempe, hoc Christi corpus ex pane  
con-

AD QUEST. SANCT. AL DEG.

cōfēctum virtute verborum Christi. Vnde nec dicere oportet quod huius enūciatio-  
nis, hoc est corpus meum, sensus sit, quod  
hic panis substantialiter, vel sacramentaliter,  
sive significatiuē sit corpus mesi; sed sensus  
est, id quod ex pane facere intendo, & facio,  
est corpus meū, vt diximus. Cæterum quia  
negari non potest, quin Christus ex aqua vi-  
num, ex lapide panē, ex pane & vino corpus  
suum & sanguinē efficere potuerit, idq; his  
verbis, hoc est vinum, hic est panis, hoc est  
corpus meum, hic est sanguis meus. Si enim Acto. 5.  
potuit Petrus vmbra sua p̄trāseundo quo-  
uis ægros ab infirmitatibus liberare, quanto  
magis potuit Christus verbis suis ex re qua-  
libet, quamlibet etiam rem aliam efficere?  
Ponatur ergo disputandi gratia quod Chri-  
stus hæc vniuersa iam dictis enuntiationi-  
bus effecerit, oro vt tua eruditio, hoc præ-  
supposito, dignetur propositis à se quæstio-  
nibus respondere. Nempe an hæc proposi-  
tio sit identica, hoc est corpus meum? An  
attributū, corpus, tribuatur subiecto signi-  
ficato per pronomē, hoc, tanquam diuerso?  
An huius enunciationis, hoc est corpus me-  
um, sensus sit, hic panis est substantialiter  
vel sacramentaliter corpus meum? & si ubi  
de re conuenimus, adhuc easdem pene dif-  
ficultates inueneris, quas nūc proponis, fa-  
cile

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

cilè intelliges quæstionum multarum ne<sup>2</sup>  
bulas non tam ad rei veritatem, quàm ad di-  
cendi rationem pertinere.

Miror autem prudentiam tuam quare-  
re, quo argumento doceatur, vocem, est, in  
hac sermonis circumstantia (hoc est corpus  
meum) significare substantialitatē, cùm illa  
sit propria, & consueta eius significatio,  
tam Græcē, quàm Latinē, in qua ab initio  
nascentis Ecclesiæ semper ab omnibus no-  
stris maioribus hoc loco accepta est. Neq;  
enim rogare solemus, cur aliquis per publi-  
cam & consuetam viam ambulet, sed si ab  
illa digressus, insolita & improbata diuer-  
ticula sectetur, tunc meritò rogatur, cur de-  
relicta regia via, ad insolitam se conuertat;  
& ideo potius rogandum eslet, quo argu-  
mento moueātur, qui vocem, est, in hac cir-  
cumstantia, præter consuetam significatio-  
nem, & præter omnium catholicorum intel-  
ligentiam, ad significationē referunt, quàm  
rogandum quo argumento doceatur sub-  
stantialitatem significare. Scio quosdā pro-  
ferre scripturam 1. ad Cor. 10. Petra autem  
erat Christus; in qua vocem, est, existimant  
pro, significat, positā, vt persuadeant ipsam  
etiam in hac circumstantia pro, significat,  
acciendiā. Sed an ex hac scriptura satis  
solidum proferri possit argumentum, quo  
id

M. BAII RESPONSIO.

id probetur, forsitan non immerito dubi-  
tauerit quispiam: quia Apostolus non vi-  
detur loquide inanimata petra Oreb suo  
loco manete, ex qua Moyses semel aquam  
elicuit, quem petra non poterat esse Christus  
nisi significatiuè: sed loquitur de petra sem  
per populum consequente, & potum cor-  
poralem ac spiritualem semper suppeditan-  
te, quem potum spiritualem eundem nobis-  
cum bibebant, quem petra non significati-  
uè, sed substantialiter erat Christus, sicut D.  
Chrysostomus & Ambrosius interpretan-  
tur. Sed detur vocem, est, uno atque altero  
loco propter sermonis circumstantia signi-  
ficiatiuè seu sacramentaliter intelligi, an ideo  
quando sine tali circumstantia simpliciter  
ponitur, proferendum erit certū argumen-  
tum, doceatur substantialitatem significa-  
re, & in sua significatione propria debere  
accipi? Scio etiam D. Augustinum epistola  
23. dicere, quod sacramenta habeant quan-  
dam similitudinem earum rerum, quarum  
sunt sacramenta, atque ex hac similitudine  
plerunque etiam ipsarum rerum nomina  
accipere; sed subiungens exemplum, quod  
secundum quendam modum sacrametum  
corporis Christi est corpus Christi, satis a-  
perte significat hunc loquendi modū, quo  
sacramentum aliquid esse dicitur tantum,  
quia

AD QUEST. SANCT. ALDEG.

quia est eius sacramentum, non esse propriū & cōsuetum, sed in solitum, & ex sermonis circumstantia intelligendum: quæ vbi defuerit, sicut in verbis Christi, quibus ait, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, non sine studio proprij sensus videtur talis intelligentia quæri.

Quæris etiam:

An explicatio horum verborum, hoc est corpus meum, debeat aut posse aliunde sumi, quam ex ipsis Christi, aut Euangelistarum verbis?

An illa propositio de calice, hoc poculum est nouum testamentum seu fœdus (dico dñi enim utrumque significat, ut H̄braeis Berith) in meo sanguine: & illa, hic est sanguis novi testamenti, non idem significant, & se mutuo significanter explicit?

Ac proinde an non penitus eadem sit in pane ratio, ut hæ propositiones: hic panis est nouum testamentum seu fœdus in meo corpore: &, hoc est corpus meum: & item, hic panis, quem frangimus est horum via corporis Christi: & hic panis, quem frangimus, est corpus Christi, idem significant, & se mutuo significanter explicit?

R E S P O N S I O.

Augustinus de doctrina Christiana lib. 2.c.9.docet, illa, quæ in libris Canonicis aperite posita sunt, solertijs diligentiusque inuestiganda, vt ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia, dubitationem de incertis aufe-

## M. B AII RESPONSI.

aferant. Ex quo intelligimus non omnia  
Scripturæ sacræ testimonia ex alijs esse in-  
telligenda. Nam quædam aperte posita  
sunt, quæ ex proprijs verbis & locutioni-  
bus intelliguntur; sed ea duntaxat, quæ ob-  
scuritatem habent, quæ possit ex alijs ma-  
nifestioribus locutionibus aut testimonijs  
illustrari. Nunc verò considerandum est, v-  
trum haec duo testimonia, hoc est corpus  
meum, & hic est sanguis meus noui testa-  
menti, obscuritatem habeant: & si obscu-  
ritatem habere putentur, an hæc obscuritas  
per hanc sententiam tanquam manifestatio-  
rem: hic calix nouum testamentum est in  
meo sanguine; possit illustrari. Nam prio-  
ri illa duo testimonia, forsitan multis vide-  
buntur hoc posteriori longè magis esse per-  
spicui, præsertim quia hæc sententia, hic  
est sanguis meus noui testamenti, planè re-  
spondet illi, quam ex Exodus citat Aposto-  
lus ad Hebreos cap. 10. hic est sanguis testa-  
menti, quod mandauit ad vos Deus. Igitur  
hoc testimonium, hic calix nouum est testa-  
mentum in meo sanguine, non est idoneū  
ad illustrandum illa duo priora, sed contrà  
potius: aut si vtraq; ambiguitatem aut dif-  
ficultatem aliquam habere prætenduntur,  
cur ad alias sententias obscuriores recurre-  
mus, in quibus videtur posse error abscon-

C

di,

di, &c non potius ad eorum studium ac te-  
stimonium, qui præsentis temporis conten-  
tiones precesserunt, & ad intelligendas scri-  
pturas sacras, præ cæteris fuerunt à Deo illu-  
minati; cuiusmodi fuit D. Ambrosius, qui  
de ijs, qui initiantur, & de Sacramentis  
quæstiones istas clarissimè dissoluit. Nam  
negare non possumus, Deum quorundam  
oculos obceccare, ne forte videant oculis,  
& auribus audiant, & corde intelligent, vt  
ad Dominum conuertantur, & satientur  
ab eo, in quibus Deus huius seculi, inquit  
Apostolus 1. ad Corinth. 4. excoecauit men-  
tes infidelium, vt non fulgeat eis illumina-  
tio Euangeli gloriæ Christi, etiam si aper-  
tissimè prædicetur. Restatigitur, vt in his  
obscuritatibus, quæ non videntur fuisse  
obscuritates veteribus, ad illos recurramus,  
quibus putatur Deus dedisse aures ad audi-  
endum, & oculos ad videndum, ne forte nos  
hic non satis acutè cernamus. Verba Am-  
brosij de ijs, qui mysterijs initiantur, cap. vi-  
timo sic habent: Potior lux quam umbra,  
veritas quam figura, corpus authoris quam  
manna de cœlo. Forte dicis: Aliud video,  
quomodo tu mihi asseris, quod Christi  
corpus accipiam? & hoc nobis adhuc su-  
perest, vt probemus. Quantis igitur utimur  
exemplis? probemus non hoc esse quod  
natura

M. B A I I R E S P O N S I O.

natura formauit, sed quod benedictio con-  
secravit: maioremque vim esse benedictio-  
nis, quam naturae, quia benedictione etiam  
ipsa natura mutatur. Et lib. 4. de sacra-  
mentis cap. 4. Author Sacramentorum quis est,  
inquit, nisi Dominus Iesus? tu forte dicis,  
meus est panis visitatus, sed panis iste, inquit,  
panis est ante verba Sacramentorum: vbi  
accessit consecratio, ex pane fit caro Chri-  
sti, hoc igitur astriuimus. Quomodo potest  
qui panis est, corpus esse Christi? consecra-  
tione, inquit. Consecratio igitur quibus  
verbis est, & quibus sermonibus? Domini  
Iesu, nam reliqua omnia, que dicuntur, laus  
Deo defertur, &c. vbi venitur ut conficia-  
tur venerabile Sacrementum, iam non suis  
sermonibus sacerdos, sed utitur sermoni-  
bus Christi. Ergo sermo Christi hoc confi-  
cit Sacramentum. Quis sermo Christi? nem-  
pe is, quo facta sunt omnia, iussit Dominus,  
& factum est, &c. & cap. 5. Antequam con-  
secrat, panis est: vbi autem verba Christi  
accesserunt, corpus est. Denique audite di-  
centem: Accipite & edite ex eo omnes, hoc  
est corpus meum; & ante verba Christi ca-  
lix est vini & aquæ plenus, vbi verba Chri-  
sti operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui  
plebem redemit. Ergo videte, quantis ge-  
neribus potens est sermo Christi vniuer-

AD QVAEST. SANCT' ALDEG.

sa conuertere. Hactenus Ambrosius, qui adiecitis adhuc alijs multis sententiam suā tam fecit manifestam, ut non possit de illa dubitari, sicut nec de sententia reliquorum veterum, qui has quæstiones tractauerūt, quibus si cum Euangeliō, cum totius Ecclesiæ testimonio non creditur, sed verba scripturæ manifesta ad inusitatum tropum detorquentur; non erit mirum, si etiam meis verbis non credatur, cum nemo credat nisi volens, nec quisquam credere velit, nisi cui dedit Deus ut velit. Porrò quod vox Græca διαθήνει, quam interpres noster vertit testamentum, sicut & Hebræa Berith, subinde vertatur fœdus, nihil huic disputationi præjudicat, quia licet per se posita fœdus significet, attamen morti vel sanguini iuncta propriè testamentum significat, sicut ostendit Apostolus ad Galatas 3. & ad Hebræos ca. 9. Similiter quod ait Apostolus 1. ad Corinth. 10. Panis, quæ frangimus, nonne participatio corporis Domini est? licet sit verum quod is panis, qui facta benedictione frágitur, & à fidelibus participatur, sit corpus Christi, in quod per consecrationem mutatus est panis, qui à sacerdote ad benedicendum accipitur: non tamen vult ibi Apostolus dicere, quid sit panis, qui frangitur, sed quid participatione huius panis significat.

M. BAII RESPONSIO.

gnificetur, & efficiatur, nempe ut multi vnum corpus simus, omnes qui de uno pane, & uno calice participamus, sicut seipsum explicat Apostolus, & Apostolum D. Cyprianus in epist. 76. ad Magnum, cuius verba etiam refert Augustinus lib. 7. contra Donatistas cap. 50. & tractatu 26. super Iohannem. Ex his facile est aliquot sequentibus respondere quæstionibus, nempe:

An pronomen, hoc, aliud significet, quam id ipsum quod uno ore omnes Evangelista testantur, Christum accepisse, fregisse, dedit discipulis, & iussisse ut acciperent, & comederent?

An Paulus 1. ad Corinth. 10. cum hunc panem nominat, & panem quem frangimus, diserte explicat, aliud sacramenti subiectum statuat, atque Christus, vel ipse Paulus 1. ad Corinth. 11. pronomine (hoc) vult significari, quod omnes Evangelistæ testantur fuisse panem, quem Christus fregit, & dedit, & de quo deniq; locutus est?

An in propositione de calice non eadem sit subiecti ratio, atque in ea, quæ est de pane, ac proinde cum subiectum in propositione, & oratione de calice non solum demonstretur pronomine, hoc, sed plane & diserte nominetur τὸ πρότιον, vel fructus, vel genimen vitis, non eadem sit ratio in pronomine, hoc, quod usurpatur in propositione de pane, ita ut hoc idem significet, quod hic panis, vel hic fructus tritici de multis coadunatis granis?

His, inquam, quæstionibus facile est ex

AD QVAEST. SANCT ALDEG.

dictis respondere: nam cœnantibus Apostolis, inquit Matthæus, accepit Iesus panem, visitatum videlicet, quia tunc ibi alius panis non erat, & eundem panem benedixit; sed quod fregit, deditque suis discipulis, dicens: accipite, & manducate; non fuit visitatus panis, sed benedictus, & benedictione in corpus eius mutatus, sicut ipsem Christus testatur, dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum: non enim ait, accipite panem & comedite panem, sicut de ipso prius ait Euangelista, accepit Iesus panem, sed ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum. Iussit ergo ut acciperent & comedarent non panem visitatum, de quo prius locutus est Euangelista, dicens: accepit Iesus panem, sed panem benedictum, de quo ait: hoc est corpus meum, iam videlicet ex pane benedicto consecratum. Similem loquendi modum fecutus est Apostolus 1. Corinth. 11. cum ait: Dominus Iesu in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, sub quo intelligitur, benedixit, sicut expresserunt Matthæus & Marcus, fregit, & dixit, accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: quæ verba simili modo accipienda sunt, quo supra ostendimus verba Mat-

Matth. 26.

Marc. 14.

thæt

M. BAII RESPONSIO.

thæi debere accipi. Dico igitur ad primam quæstionem iam propositam, quod pronomen, hoc, in Christi verbis significet aliud quidem, quam quod uno ore omnes Euangelistæ & apostolus 1. Corinth. 11. testantur, Christum accepisse, sed non aliud, quam idem testantur Christum discipulis dedito, & iussisse ut acciperent, & comedissent: significat enim corpus Christi ex pane consecrato benedicendo, sed non significat panem usitatum, quem omnes Euangelistæ testantur Christum accepisse. Ex quo intelligimus verba hæc, accipite & comedite, non debere construi cum nomine, panem, quod præcessit, cum ait Euangeliſta, accepit Iesus panem, sed cum eo quod sequitur, hoc est corpus meum, vel cum eo quod intelligitur, ut sit sensus: accipite corpus meum: vel, quod in idem recidit, accipite panem benedicatum, & consecratum. Porro ad id quod secunda quæſtione proponitur: An Paulus 1. Corinth. 10. cum nominat panem, quem frangimus, aliud Sacramenti subiectum statuat, quam Christus vel ipſe Paulus 1. Corinth. 11? Respondeo quod Paulus ca. 10. supradicto idem sacramenti subiectum statuat cum eo quod statuit Christus apud Matthæum, cum ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum. Nam

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

subiectum sacramenti statuit verum Christi corpus, quod translato nomine panem appellat, quia ex pane confectum, & speciebus panis velatum: quam nominis translationem manifestè significat ipsa sermonis circumstantia, cum dicitur (panis, quem frangimus, &c. omnes qui de uno pane participamus) nam omnibus fidelibus notissimum est in altari neque frangi, neque participari panem nisi benedictum, & in corpus Christi benedictione conuersum.

Ad tertiam quæstionem respondeo id quod apud Euangelistas & apud Apostolum 1. Corinth. 11. de calice dicitur, eodem modo accipiendum, sicut id quod de pane dicitur, nempe quod ubi narratur Christus accepisse calicem, ibi intelligendus sit accepisse calicem vini & aquæ plenum, sicut ait Ambrosius: ubi vero verba Christi opera sunt, hoc est, ubi post benedictionem ait: bibite ex hoc omnes, ibi non sit intelligendus porrexisse vinum & aquam, sed suum sanguinem, quo plebem redemit, & de quo dicit, hic est sanguis meus noui testamenti. Quod vero apud tres Euangelistas de genimine vitis dicitur, videtur potius referendum ad poculum Paschæ veteris, quam novi, sicut Lucas non obscurè significat.

Luc. 22.

Quæsti-

M. BAII RESPONSIO.

Quaritur deinceps:

Si subiectum possum in hac propositione, hoc est corpus meum, mutatur, aut mutatum fuit, a subiecto panis, quod Euangelista testantur Christum accipisse, fregisse, & deditse, quando mutatum fuit, quia ut quo Domini mandato, quo diuini verbi argumento?

Respondeo subiectum positum in hac propositione, hoc est corpus meum, non mutari, quia subiectum istud corpus Christi est, à quo in Sacramento nulla fit mutatio; sed panem quem accepit Iesus, dicimus mutatum esse in corpus eius, quando benedicendo & consecrando panem ait, hoc est corpus meum, mutatum, inquam, virtute verborum eius, nam, vt ait Ambrosius de ijs qui initiatur, cap. 9. si tantum valuit humana benedictio, Elizei videlicet facientis ferum naturae, vt naturam conuerteret, quid dicemus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? nam Sacramentū istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponaret, nō valebit sermo Christi vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non e-

4. Reg. 6.

4. Reg. 1.

psal. 48.

AD QUEST. SANCT. ALDEG.

erat, non potest ea quæ sunt in id mutare  
quod erat? non enim minus est nouas rebus  
dare, quam mutare naturas. & lib. 4. de sacra-  
mentis c. 4. Sermo Christi, inquit, hoc con-  
ficit Sacramentū; quæ autem sunt verba  
Christi, quibus hoc sacramentū conficitur,  
exponit c. 5. dicens: Omnia illa verba Euan-  
gelistæ sunt, vsque accipite siue corpus, siue  
sanguinem; inde verba sunt Christi, audi di-  
centem, hoc est corpus meum, & ante verba  
Christi, calix est aquæ & vini plenus, ubi  
verba Christi cooperata fuerint, ibi sanguis  
efficitur, qui plebem redemit. Ecce habes  
quod verbum, accipite, non construitur cū  
nomine, panem, sed cum nomine, corpus,  
& sanguinem, sicut suprà diximus. Habes  
secundò, non quando subiectum positum  
in hac propositione, hoc est corpus meum,  
mutatum sit, sed quando mutatus  
sit panis, quem cœnantibus Apostolis  
accepit Iesus, nempe quando dixit, hoc  
est corpus meum: Habes qua vi, & quo  
Domini mandato mutatus sit panis, nem-  
pe virtute verborum Christi, quibus dixit  
& facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.  
Habes quo diuini verbi argumento, nem-  
pe argumento verborum Christi, quibus a-  
pertissimè dixit, hoc est corpus meum: nam  
quia mentiri nō potuit, oportet ut ex pane,  
quem

M. B A I I R E S P O N S I O

quem accepit, id fecerit, quod dixit, videlicet, hoc est corpus meum, ne conuincatur falsum fuisse quod dixit.

Quæris etiam:

*Quæ sit analogia unionis corporis Christi, cum Ecclesia declarata 1. Corinb. 10. si nulla est panis, vel vini reliqua substantia?*

R E S P O N S I O.

Hanc analogiam explicat Augustinus libro 7. contra Donatistas cap. 50. verbis D. Cypriani, quæ sic habent: Quando Dominus corpus suum panem vocat de mulorum granorum aduhatione congestum, & quando sanguinem suum vinum appellat de botris & acynis multis expressum, atque in unum coactum, gregem item nostrum significat commissione adunatæ multitudinis adunatum: nam quemadmodum panis, ex quo corpus Christi conficitur, quod interdum etiani panis vocatur, ut, panis quem frangimus: quemadmodum, inquam, panis ex granis in unum adunatis conficitur, & quemadmodum vinum ex multis acynis in unum confluentibus coalescit: sic etiam mysticum Christi corpus, quod per hoc Sacramentum significatur, & coit, ex dispersis Dei filijs colligitur, qui per fidem & dilectionem in unum corpus adunantur. Nec huius analogie obstat;

*Aug. tract.  
26. super Io-  
annem.*

*Cyprian.epi-  
stola 15. ad  
Magnam.*

AD QUEST. SANCT. ALDEG.

stat, quod in confectione Sacraimenti nulla est panis & vini reliqua substantia; quia nec remanet ipsa granorum aut acynorum forma, ex qua tamen sumitur potissima huius analogiae portio, quia analogia sumitur non ex substantia, quæ in ipso sacramento permanet, sed ex ea quæ in pane & vino, ex quibus conficitur, præcessit.

Vltima quæstio sic habet.

*Quomodo veteres docuerunt eandem, aut similem esse transformationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi, qualis erat aquæ admixta vi-  
no in populum Christi, eius corpori per fidem ad-  
glutinatum?*

RESPONSIO.

Hanc quæstionem moueri puto occasi-  
one verborum beati Cypriani in epistola  
63. quæ est ad Cæciliū, quæ sic habet:  
*Quando in calice vino aqua miscetur, Chri-  
stus populus adunatur & credentium plebs  
ei, in quem credit, copulatur & coniungi-  
tur. & infra: Sic autem in sanctificando ca-  
lice Domini offerri aqua sola non potest,  
quomodo nec vinum solum potest: nam  
si vinum tantum quis offerat, sanguis Chri-  
sti incipit esse sine nobis: si vero aqua so-  
la, plebs incipit esse sine Christo: quando  
autem utrumque miscetur, & adunatione  
confusa sibi inuicem copulatur, tunc sa-*

M. BAII RESPONSIO.

cramentum spirituale & cœleste perficitur.  
Quibus verbis non continetur ea compa-  
ratio, quæ in quæstione exprimitur, nempe  
quod talis sit transformatio panis & vini in  
corpus & sanguinem Christi, qualis est  
aqua & vino permista in populum Christi;  
sed tantum exponitur, quid sacrificium ex  
aqua & vini commixtione consecutum sig-  
nificet & efficiat; nempe ut quemadmo-  
dum sacrificium ex aqua vino permista con-  
ficitur, sic etiam Christus & plebs eius in  
vnum corpus coadunetur, non Christum  
mutando in peruersos plebis affectus, sed  
reformando plebem, ut cum Christo quæ  
Dei sunt sapiat, & deposita prauitate spiri-  
tum Christi induat. Nam & ipsa vini &  
aqua mixtio sic temperatur, ut non vinum  
in aquam, sed aqua in vinum conuertatur,  
& hoc modo inuicem copulentur. Quod  
si forte quæstio hæc alia veterum scripta re-  
spiciat, quæ mihi non occurunt, cuperem  
illa designari, ut si Deus largiretur, possit eis  
conueniens responsio adhiberi.

R.E.

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

RESPONSIO AD E-  
pistolam D. Sanct. Aldegon-  
di.



Vñ per otium iegolo  
epistolam tuam , datam  
quinta Nouembris anni  
1577. Eruditissime Do-  
mine, nonnulla occurre-  
runt , de quibus visum

est aliquid breuiter dicere ; id quod spero e-  
ruditionem tuam non grauatè laturam ,  
quia id ipsum nominatum expetijt, de con-  
stitutionibus Ecclesiasticis . Dicis itaque ti-  
bi licere illud cum Chrysolstomo conten-  
dere, multos quidem Spiritum sanctum ia-  
ctare, sed qui propria loquantur, falso illud  
prætendere : id quod verissimè dicis, quia id  
docet scriptura sacra, cum ait: Nolite om-  
ni spiritui credere, sed probate spiritus si ex  
Deo sunt. & rursus: Prophetæ duo aut tres  
dicant, & cæteri dijudicent. Sed si quis hinc  
conetur persuadere, veterum testimonia, &  
decreta conciliorum, præsertim antiquorū,  
quæ per multas annorum centurias à viris  
doctissimis atque sanctissimis ad scriptu-  
ras sacras discussa, tanquam à Spiritu san-  
cto.

Et profecta, haec tenus sine contradictione  
 recepta sunt, posse leuiter rejici; puto  
 quod non facile excusabitur à contemptu  
 eorum, quos venerari conuenit. Nam con-  
 cilijs generalibus, quæ communi patrum  
 consentu conclusa, à cunctis fidelibus re-  
 cepta sunt, etiam hoc accedit, quod non  
 immerito existimentur, & præsumantur cō-  
 tinere sensum Ecclesiæ, de qua dicit Apo-  
 stolus, quod sit columna & firmamentum  
 veritatis; & generali sententia mandat Do-  
 minus, ut qui Ecclesiam nō audierit, sit tibi  
 sicut Ethnicus & publicanus. Quod verò  
 Maximino scribit Augustinus lib. 3. cap. 14  
 Nec ego Nicænum, nec tu debes Arimi-  
 nense tamquam præiudicaturus proferre  
 concilium; causamque subdit, dicens: Nec  
 ego huius autoritate, nec tu illius detine-  
 ris; non eo spectat, ut credatur Nicæni  
 concilij authoritas posse contemni: nam  
 paulò superius eodem capite dicit, Ho-  
 monusion in concilio Nicæno aduersus hæ-  
 reticos à catholicis patribus veritatis au-  
 thoritate, & authoritatis veritate firma-  
 tum. & lib. 2. contra epistolam Parmenia-  
 ni dicit, quod de ijs, qui ab Ecclesiæ vni-  
 te separati sunt nulla questio est, qui in &  
 habeat baptismū & dare possint, hoc enim  
 inquit, in ipsa totius orbis vnitate discut-  
 sum

Concilia  
 continent  
 sensum ecclæ-  
 sie, id est praes-  
 latorum.

I. Timot. 3

Matth. 18.

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

sum, consideratum, perfectum atque firmatum est. & contra Donatistas lib. 6. cap. 2. dicit vniuersae Ecclesiae sententiam, plenarij concilij authortate roboratam, atque firmatam. & lib. 7. c. 53. Id sit cura securae vocis asserere, inquit, quod vniuersitatis Ecclesiae consensione roboratum est. Non ergo vult Augustinus, ut credatur Nicæni, aliorumque conciliorum authoritas posse contemni, sed quia Catholici concilium Ariminense reprobant, & Maximinus concilium Nicænum nō recipiebat, licet ipsum recipere debuisset, si catholicus fuisset, ideo dicit Augustinus, quod nec ipse Nicænum, nec Maximinus debebat Ariminense tanquam præiudicaturus proferre concilium, quia vterque inutiliter protulisset. Nam quemadmodum Christus, cum Saducæis de resurrectione disputans, non prophetarum testimonij quæ tamen certa & longè apertiora erant, sed tantum usus est testimonij quinque librorum Moysis, quos Saducæi recipiebant: sic etiam Augustinus contra Maximum ijs tantum testimonij usum censebat, quæ Maximinus recipiebat. Quamobrem si Maximinus licentia heretica, scripturam aliquam verè canonicanam reiecerit, sicut reieciebat concilium Nicænum, non ea aduersus illum usum esse cen-

## M. BAII RESPONSIO.

censuisset Augustinus, sed tantum ijs, quārum authoritati consentiebat. Licet igitur D. August. indicaret Concilium Nicænum idoneum, ut apud fideles firmatum esse ostenderet, quod in illo conclusum erat; at tamen quia Maximinus illud non recipiebat, ideo ait: Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præiudicaturus proferre Concilium.

Constitutiones Ecclesiasticas in Christi regno libenter agnoscis, sed addis ab ipso rege in quois regno constitutiones debere proficiisci, id quod etiam de Christi regno verilissimè dicis. Sed debes aduertere non eas tantum constitutiones à Christo rege proficiisci, quas per se met ipsū immediate constituit, sed etiam quas per illos statuit, quos peregrè proficiens constituit super familiam suam: sicut ostendit Christus rogans Pharisēos, utrum baptismus Ioannis esset ē cœlo, an ex hominibus? & presupponens esse ē cœlo, id est, à Deo, licet esset baptismus Ioannis ab ipso Ioanne institutus: similiter Apostolus 1. Corinth. 14. vocans ea quæ ipse ex data sibi potestate præcipiebat, Domini mandata. Si quis vindetur propheta esse aut spiritualis, inquit, cognoscat quæ scribo vobis, quod Domini sunt mandata: Nam quemadmodum

*Matth. 22.*

d

ad

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

ad Romanos 13. constitutio, seu mandatum principis, Dei ordinatio nuncupatur, dicente Apostolo : Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; sic etiam mandatum præpositi ecclesiastici, cui Apostolus nos obedire & subiacere præcipit, Christi ordinatio est. Et quemadmodum ijs qui ex spiritu sancto loquuntur, dicit Dominus : Vos non estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis; sic etiam ijs, qui ex potestate sibi à Christo data aliquid recte præcipiunt, iuxta D. Bernardum verè dicitur : Vos non estis qui præcipitis, sed Christus, qui potestatē dedit, qua præcipitis. Vnde illud Moysis: Non enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. & illud Domini ad Samuelem: Non enim te spuerunt, sed me. Si quis loquitur, inquit Petrus 1. Epistolæ cap. 4. tanquam sermones Dei, si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, igitur si quis præcipit, tanquam ex potestate quam à Deo accepit: nam de præceptis, quæ per Dominum dederat Apostolus: Namq; qui hæc spernit, inquit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctū in nobis. Quod autem præfecti ecclesiastici præcipiendi potestatem habeant, ostendit verbum, obedite, tos

Mab. 13.

Matb. 20.

Exod. 16.

1. Reg. 8.

M. BAII RESPONSIO.

ties in scripturis eis, qui illis subsunt, attributum; quia nemo dicitur obedire præconi, sed ex legitima potestate præcipienti. Quemadmodum autem de principibus nō ex potestate sibi data, neq; ex proximi dilectione sibi à Deo inspirata, sed ex præsumptionis audacia, & ex amore lui, qui ex mundo est, iuxta concupiscentias suas aliqua constituentibus, ut Dominus per Prophetam: Ipsi regnauerunt, & non ex me: *Osae 8.* principes extiterunt, & non cognoui. & Christus in Euangeliō: Regnum meū non *Ioannis 18.* est de hoc mundo. Nam qui ex hoc mundo regnant, hi non regnant ex Deo, & contrà; sic etiam de præpositis Ecclesiæ quæ sua sunt docentibus, aut iuxta concupiscentias suas, non ex accepta potestate, sed ex sua præsumptione aliqua constituentibus, re-ctissime dicitur: Frustrā me colunt docen-*Math. 15.* tes doctrinas & præcepta hominum, hæc enim hominum propriæ sunt, quæ Dei non sunt. Porrò quemadmodum filius patri obediens præcipienti, ut vel literas discat, vel rem familiarem curet, non aliud facit, quam præcipit Deus, dicens per Apostolum: Filii obedite parentibus. Nec verbo Dei quicquam addit, sed illud tantum facit, quod præcipit Deus: Sic etiam imminentे an-*Ephes. 6.* nua passionis Christi memoria, ex con-

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

Mat. 13.

Lxx. 12.


Lxx. 10.

stitutione Ecclesiastica iejunans, audit vocem Domini, dicentis: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Nec ad verbum Dei quicquam addit, sed illud tantum facit, quod mandauit Deus. Sicut & ipse præpositus dans tritici mensuram, & supererrogans mandatum, quod à latronibus saucio, & in stabulo iacenti iudicat esse necessarium, non addit aliquid ad verbum Dei, sed id tantum facit, quod Dei verbum illi præcipit. Nam si aliquid præcipere, quod non est in verbo Dei expressum, semper esset aliquid verbo Dei addere, tunc neque princeps subdito, neque pater filio aliquid præcipere posset, sed id tantum annunciare quod præcipit Deus, ac per hoc neque subditus principi obediret, neque filius patri, sed Deo tantum, quia, ut diximus, nemo dicitur obedire præconi, sed tantum præcipienti. Et si aliquid præcipere, quod non est expressum in scripturis sanctis, est addere ad verbum Dei: igitur docere, aut scribere aliquid, quod non est expressum in scripturis sanctis, est addere ad verbum Dei, & sic de rebus sacris inter nos conseruentes, siue scripto, siue verbo, multa ad verbum Dei adderemus, contra expressum Dei mandatum per te adductum: Non addas ad verbum Dei, neque minuas ex eo; iludque

M. BAII RESPONSIO.

Iudique nobis obseruandum eslet, quod in  
Collegijs Theologicis tempore prandij &  
cœnæ obseruatur, vt vno sacram scriptu-  
ram legente cæteri taceant. Si fortè per hæc  
non sit tuæ eruditio in his, quæ ex episto-  
la tua attigi, factum satis, licebit accepto  
responso adhuc de eisdem latius con-  
ferre. Bene vale, 28. Nouem-  
bris 1577. Lo-  
uanij.

*Tuus Michael de Baij:*



d 3      RESPON-

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

**RESPONSIO AD OB-  
IECTIONES CONTRA RE-  
SPONSIONE ad posteriores quæ-  
stiones per ipsum Sanct-Alde-  
gondum propositas.**



ECTA responce tua  
ad ea, quæ de posteriori-  
bus Quæstionibus tuis,  
quantum Deus largiri di-  
gnatus est, differui, eru-  
ditissime Sanct-Aldegon-  
de, deprehendi te disputationi meæ mi-  
nus consentire, quod non satis assecutus  
sis, quomodo vel dicta mea sibi conser-  
tant, vel quibus firmentur argumentis. Et  
inter ea quæ discrepare existimas, impri-  
mis profers quod dixi: verbum substanc-  
tiuum, est, usitata sua significatione noti-  
re substantialitatem; cum tamen antè præ-  
miseram, enunciationes simplices, in qui-  
bus alterum dealtero mediante verbo sub-  
stantiuo, est, enunciatur, aliquando pro-  
ferri intentione asserendi id quod est, pri-  
usquam talis enunciatio proferri incipi-  
at; aliquando vero intentione faciendi id  
quod nondum est, quando eiusmodi o-  
ratio enunciari incipit: sed tunc demum  
erit,

M. BAII RESPONSIO.

erit, quando ipsa enunciatio absoluta fuerit. Hanc enim distinctionem sic accepisti, quasi dixissem verbum substantium, est, bifariam accipi, aliamque significationem in ijs enunciationibus habere, quæ tantum proferuntur intentione afferendi, quod prius fuit: & aliam in ijs quæ dicuntur intentione faciendi, quod tali enunciatione designatur. Id quod neque dixi, neque significare intendi, sed tantum volui ostendere, enunciations quasdam, manente eadem vslitata & genuina vocum omnium significatione, posse alia & alia intentione dici, nempe intentione afferendi quod prius fuit, & intentione faciendi quod non fuit, sed quod tunc datum erit, quando eiusmodi enunciatio absoluta fuerit. Et quia satis suspicabar, istud posterius enunciationum genus à te minus obseruatum, conatus sum illud comprehendere, non tantum sermone Iurisconsultis noto, cap. requisisti, de testamentis, sed etiam tribus scripturæ factæ testimonijs, quorum duo satis leuiter attigisti, sed tertium tanquam huic rei impertinens omnino præteristi, in quo tamen tanta cūdencia ostenditur, vnam & eandem enunciationem, manente prorsus eadem vocum significatione, posse proferri & intentione

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

Item 4.

tione faciendi quod non prius fuit, & intentione significandi quod ante fuit, ut nō nisi absurdissimè negari possit. Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum, abiit, & rogauit Iesum, ut sanaret filium eius, tandem dicit ei Iesus: Filius tuus viuit; & hoc dicendo, sanauit eum, sicut etiam à ministris sibi occurrentibus cognouit. Hic significauit Iesus, non quod prius fuit, sed quod hæc dicendo fecit; nempe quod filius eius viueret, id est, sanus esset. Descendente regulo, serui occurrerunt ei, & annunciauerunt, dicentes, quia filius eius viueret; ergo & hi dixerunt regulo, filius tuus viuit, non alia vocum significatione, sed prorsus alia intentione; quia Christus regulo dixerat, filius tuus viuit; intentione faciendi quod dicebat, hoc est, intentione sanandi filium eius: serui vero dixerunt eidem: filius tuus viuit, non intentione aliquid faciendi, quod prius non erat, sed intentione nunciandi, quod iam esse gaudebant, & ipsum regulū gausurum esse sciebant. Accipe exemplū aliud: Cūm Iesus ex cruce vidisset matrem & discipulū stantem, quem diligebat, dicit matri suā, non de se ipso, sed de discipulo: Mulier, ecce filius tuus; deinde dicit discipulo: ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in suā.

Quare

Item 9.e

M. BAII RESPONSIO.

Quæro an Iesus hic matri & discipulo dixit, quod prius fuit, an potius quod suis his verbis effecit: certe si ante fuisset quod dicebat Dominus, non subiecisset Euangelista, quod ex illa hora, nempe qua hoc audiuimus a Domino, accepit eam discipulus in suam, non significatione, sicut ait, sed adoptione, sicut etiam in ciuilibus fieri solet. Sed siue Christus verbis suis Ioannem fecerit esse filium Mariæ significatione, siue adoptione, attamen fecit quod prius nō fuit, & sic etiam verbis suis significauit, non quod prius erat quam loqueretur, sed quod verbis suis faciebat. Sicut enim Christus mandando multa effecit, quæ nos iisdem verbis, eadem significatione acceptis tantum præcipere solemus, ut per alios fiant, vt: Surge, tolle grabatum tuum, & am- Ioannis. bula. Lazare veni foras; extende manum Ioannis II. tuam, respice, &c. Sic etiam per præsens enunciando, multa effecit, quæ nos iisdem verbis, eadem significatione acceptis prius fuisse significamus: imò etiam verbo præterito significauit, quod tamen non fuit, nisi completa oratione. ut apud Lucam: Luc. 13. Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Iam puto, intelliges me, dicendo enunciations, in quibus alterum de altero enunciatur mediante verbo substantivo, est, aliquando

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

professi intentione asserendi quod prius  
fuit, aliquando vero professi intentione fa-  
ciendi quod non fuit, sed quod tunc pri-  
mum esse incipit, quando prolatæ est ora-  
tio; non geminatio verbi substantiæ, est,  
notionem, sed semper genuinam & usita-  
tam seruans, qua substantialitatem, aut aliud  
r̄erum genus significat, ac proinde non  
esse contrarietatem, quam in meis scriptis  
contrarietatem esse putasti, sed meram &  
apertam veritatem, solidis & manifestis sa-  
crae scripturæ testimonijs sufficienter com-  
probata.

Altam contradictionem protulisti, quod  
dixerim apud Euangelistas verba Christi,  
accipite & comedite, non debere construi  
cum nomine panem, quod præcessit, quan-  
do Euangelistæ ait: Accepit Iesus panem;  
quia ibi de communi pane loquitur, quem  
Ambrosius usitatum vocat: sed dixi debere  
construi cum eo, quod sequitur, hoc est  
corpus meum, vel cum eo quod intelligi-  
tur, panem benedictum & consecratum,  
quasi videlicet haec inter se opponantur:  
verbum, comedite, non construitur cum  
nominis, panem, quod præcessit, quia signi-  
ficat panem usitatum, sed construitur cum  
nomine, panem, benedictum & consecra-  
tum, quod intelligitur, cum manifestum sit  
panem

M. BAII RESPONSIO.

panem benedictum & consecratum , iam amplius panem non esse, sed in Christi corpus esse mutatum, sicut aqua in vinum mutata, non amplius est aqua , sed vinum : & homo mortuus, non amplius est homo, sed cadaver. Non est igitur sibi contrarium, verba Christi, accipite & comedite, non construi cum nomine, panem, quod praecelsit, sed cum eo quod sequitur, hoc est corpus meum, vel cum eo quod intelligitur, panem benedictum , & consecratum , sicut construit Ambrosius.

Longum esset cuncta prosequi , nunc praesertim, occupationibus me alio vocantibus, ne etiam per occasionem partibularium difficultatum, quas Deo iuuante , postea per otium carptim excutiemus, causae caput prætereamus. Nostri enim cardinem, in quo vertitur summa nostræ controvèrsia, esse; In qua, imò vero in vtra significazione accipi debeat vebum substantiuum , est , cum ait Christus, hoc est corpus meum , an ut substantialitatem designet, an verò ut ponatur pro verbo, significat? Ambo dicimus, propriam & genuinam significationem verbi, est, esse ut substantialitatem designet: fatemur etiam propositionem hanc, hoc est corpus meum, veram esse nō posse, si verbum substantiuum, est,

## AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

est, in propria sua significatione sumatur,  
& simul ad id respiciatur, quod ante horum  
verborum prolationem extitit, nempe ad  
panem usitatum. Nam verum esse non po-  
test, quod, hoc, id est, hic panis in substan-  
tia sua permanens, sit corpus Christi, & ni-  
hilominus ne in Christum, qui veritas est,  
blasphemi simus, ambo defendimus, verum  
est, quod accepto pane dixit, hoc est cor-  
pus meum : Sed tu hanc veritatem defen-  
dis, dicendo verbum, est, non accipi in usita-  
ta & genuina significatione, sed pro verbo,  
significat, quasi dixisset Christus: Hic panis  
significat corpus meum. Ego vero, imo Ca-  
tholica fides defendit sententiam hanc à  
Christo prolatam, veram esse, accipiendo  
verbum substantium, est, in sua genuina  
significatione; sed addit Christum protu-  
lisse hanc sententiam, non respiciendo ad  
id quod erat, priusquam eam enunciaret,  
hoc est, ad panem usitatum, sed ad id quod  
his verbis faciebat, & quod futurum erat  
ultimo momento prolationis eorum; quasi  
dixisset, hoc quod ex pane verbis meis fa-  
cio, est corpus meum & ut ostendam hunc  
loquendi modum, Christo non fuisse inusi-  
tatum, alia eius verba profero, quibus regu-  
lo dixit: Filius tuus vivit; dixit matri suæ de  
Ioanne Apostolo, ecce filius tuus: dixit ipsi

Io-

M. BAII RESPONSIO.

Ioanni ecce mater tua. Quibus verbis non intendit significare, quod prius fuerat, sed facere quod nondum erat, sicut supra latius prosecuti sumus: Imo etiam verbo præterito significauit, non quod ante fuit, sed tantum quod prolata oratione perfecit Dominus. Marci 7. Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua. Lucæ 13. Mulier dimissa es ab infirmitate tua. & 2. Paralip. cap. i. Quia non postulasti diuitias, petisti autem sapientiam, & scientiam, ut iudicare possis populum meum, sapiëtia & scientia data sunt tibi. Quia igitur huius collationis initio, tam gratanter accepisti, quod dixi: iudicium de Christi Ecclesia ex sola scriptura iuxta D. August. peti debere; cui etiam subiecisti, reliquas controvërsias, nullo negotio compositum iri, si ad verba Domini Ialuatoris scripturis sanctis tradita, tanquam ad lydium lapidem explorentur: Oro te ut quemadmodum certis & multis sacrae scripture testimonijs, tam præcedenti quam præfenti scripto ostendi, Christum verbis indicatiuis præsentis temporis, imo & præteriti, sine vlla æquiuocatione, saepius significasse non quod prius fuerat antequam loqui inciperet, sed quod verbis suis faciebat: sic etiam certa proferas testimonia, in quibus Christus verbo substan-

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

stantiuo, est, usus fit pro verbo, significat, præsertim dicendo simpliciter: Hoc est illud, ut omnibus ex utraque parte diligenter consideratis, facilius videri queat, utri parti magis adhærendum sit, præsertim cum & veteres omnes, & omnia concilia, quæ huius questionis mentionem fecerunt, eam partem amplexa sint, quam tuemur, & contrariam aperte damnauerint: nullum enim unquam audiui designari concilium, in quo vestra sententia probata sit. Fateor Berengarium primum eam in medium protulisse, sed sicut illam primus attulit, sic eam primus bis, terve abiurando, & quantum memini, in abiuratione moriendo iugulavit.

Quod ais, multos pro hac sententia subiisse mortem, non me mouet, tum quia pro veritate Catholica plures mortem oppetrunt, tum etiam quia Donatistæ, & alij plures haeretici similia prætendentes, semper ab ecclesia contempti sunt. Nam ubi quis pro iustitia moritur, veritatis testificatio est: ubi vero pro errore, obstinationis est miseranda ostentatio. Quod fieri posse testatur Apostolus, cum ait: Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuerio, nihil mihi prodest. Martyrem non facit poena, sed causa, si videlicet pro iustitia moriatur, sicut Dominus desinuit, dicens:

I. Corin. 13.

Bea-

M. BAII RESPONSIO.

Beati qui persecutionem patiuntur propter ius utiam, vel ut testimonium prohibeant veritati. Sed de his haec tenus. Hoc unum Matth. 5. te suppliciter oro optime Domine quod & germanum fratrem, si tuo loco eslet, etiam obnoxie rogarem, ut diligenter expenso libello D. Aug. de vnitate Ecclesiae, prudentia tua consideret, an audeat confidere, se esse in Christi Ecclesia, extra quam salus esse non potest, quia in die iudicij non nos iuuabit tergiversatio, & subtilis defensio positionis, sed humilis, simplex, & aperta veritatis confessio, quam in mansuetis & humilibus operatur Deus.

Nunc superest, ut carptim, & quanta potero breuitate, reliquis tuae disputationis capitibus, quae nodum questionis facere videbantur, respondeam.

O B I E C T I O P R I M A.

*Si Christus ex pane corpus suum benedicendo fecit, igitur simpliciter & consuetalocutione verum est quod postea dixit, hoc est corpus meum.*

R E S P O N S I O.

Benedictiones in scripturis sacris duabus modis factae leguntur, sine verbis, & cum verbis: Sine verbis, ut Matthaei 14. Christus aspiciens in coelum benedixit, & sregit, & dedit discipulis panes multiplicatores,

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

tos, sed nulla benedictionis verba protulisse legitur: similiter Luc. 9. vbi acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, suspergit in cœlum, & benedixit illis, non legitur expressisse aliqua benedictionis verba. Sed Genesis, c. 1. Deus benedixit animalibus, dicens: Crescite & multiplicamini. & 35. Deus benedixit Iacob, dicens: Non vocaberis ultra Iacob, sed Israel erit nomen tuum; & 27. Isaac benedicens filio suo Iacob, ait: Dei tibi Deus, &c. & 49: Iacob benedixit singulis filiis benedictionibus proprijs, quas & prophetando verbis expressit. Hoc posteriore modo acceptum panem benedixit Iesus, dicens: hoc est corpus meum. Quamobrem Christi benedictio, qua panem benedixit, non præcessit hæc verba, hoc est corpus meum, sed his verbis facta est; ac proinde res verbis istis significata non præcessit horum verborum prolationem, sed potius sequuta est, sicut effectus causam sequitur: & ideo respiciendo ad id quod prius fuit, sicut frequentius in huiusmodi sermonibus respicere solemus, non potest verum esse quod ait Christus: hoc est corpus meum: sed tantummodo respiciendo ad id quod verbis istis efficiebatur, sicut prius diximus.

## M. BAII RESPONSI.

2. Si benedictionis vi panis visitatus in corpus Christi transsubstantiatur, que tandem sunt benedictionis tamen efficacia verba?

### RESPONSI.

Huic difficultati clare & disertè satisfactum est, respondendo quæstioni, qua initio huius collationis scilicet: Si subiectum positum in hac propositione, hoc est corpus meum, mutatur, quando mutatum fuit, qua vi, quo Domini mandato, quo diuini verbi argumento? legantur verba non tam mea, quam D. Ambrosij ibi posita, & manifestè inuenietur, quod benedictionis efficacia verba sint Christi verba, quibus ait: hoc est corpus meum; sicut etiam sat clarè testantur Euangeliæ, & D. Chrysostomus circa finem homiliæ de Iuda proditore, tomo 3. nec dicimus verba *σιλεγη* metamorphosim, aut transubstantiationem significari, quia potest homo Deo & homini absq; omni mutatione benedicere: sed dicimus quod quemadmodum Deus benedicens animalibus, dicendo: Crescite, & multiplicamini, dedit eis generandi facultatem; sic Christus benedicendo panem his verbis: hoc est corpus meum; de pane corpus suum fecerit.

3. Libenter damus, quod ait Ambrosius, Christum suis verbis elementa omnia posse commutare.

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

Vellem eadem facilitate dares , quod idem Ambrosius ait: Antequam consecratur, panis est : vbi autem verba Christi accesserunt, corpus est. Denique audi dicentem, accedite , & edite ex eo omnes, hoc est corpus meum, quia non ad alium finem dicit Ambrosius, quod sermo Christi potens est omnia conuertere, quam ut persuadeat quod Christus his verbis ; hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus , panem & vi-  
num in corpus & sanguinem suum conuerterit. Sed tu hæc D. Ambrosij verba prius à me citata , antequam consecratur, panis est : vbi autem verba Christi accesserint, corpus est. item de pane fit corpus Christi, nouo Caluini tropo eleganter eludis , di-  
cens, quod panis antequam consecretur est panis : sed vbi verba Christi accesserint, est corpus, non substantia, sed representati-  
one, & quod panis desierit esse panis, non mutatione substantiæ , sed si spectes vsum  
instituentis , & finem institutionis. Certè si panis , panis esse desierit quando ad signi-  
ficandum institutus est, igitur & vox, vox  
esse desinit, quando ad significandum in-  
stituitur: quod an aliquis mortalium un-  
quam senserit, nescio. Fateor cum supradi-  
cta verba D. Ambrosij proferrem, hoc om-  
nino de ingenuitate & acumine ingenij tui

con-

M. BAII RESPONSIO.

confidebam quod longe citius responde= res, aut Ambrosij verba non esse, aut te eius sententia non teneri, quām contra omnium legentium sensum conareris ea in alienum sensum detorquere. Sed video te ita imbutum & sensu, & tropo à Caluino inventis, ut etiam pugnantissima tibi non nisi Caluinum sonent, & sapiant. Quamobrem vide ne hic Caluini sensus tibi altissime impressus sit velamen, & cauterium, de quibus loquitur Apostolus. Cæterum cum dicas panem non substantia, sed representatione, & institutione fieri corpus Christi, rogo quando & quibus verbis sit panis hoc modo corpus Christi? Scio te dictum, quod verbis istis, quādo proferuntur: Hoc est corpus meum: ex quo infero quod ante horum verborum prolationem, hic panis non fuit corpus Christi, nec substantia, nec institutione. Quæro igitur ulterius, quomodo supra dixisti quod si à Christo aquam in vinum mutante dictum fuisset: hoc est vinum; omnino vel à propria significatione verbi, est, deflexum esset, vel certe verum esse non potuisset, nisi iam antea, alia quapiam vi, facta fuisset mutatio? Nam si accepta aqua sine deflexione à significatione verbi, est, verè dicinon potest, hoc est vinum, nisi iam an-

*2. Corin. 5.  
2. Timo. 4.*

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

tea alia quāpiam vi facta sit mutatio aquæ  
in vinum, quomodo sine deflexione à signifi-  
catione verbi, est, verum esse potest, quod  
hic panis sit representatione & institutio-  
ne corpus Christi, nisi iam ante ista verba,  
alia quāpiam vi facta fuerit præfacta sacra-  
mentalis institutio, qua hic panis hoc mo-  
do corpus Christi effectus sit? Iam puto vi-  
des etiam secundūm sensum, quem preten-  
dis, omnino tibi dicendum, quod Christus  
accepto pane dicens, hoc est corpus meum;  
non ad id respexerit quod erat ante horum  
verborum prolationem, sed quod verbis  
suis faciebat, nempe ad institutionem sacra-  
menti, per quam dicis hunc panem factum  
esse corpus Christi; quia panis iste quem pu-  
tas demonstrari, ante verborum prolationem,  
non tantum non fuit corpus Christi  
substantia, sed nec institutione seu signifi-  
catione. Ac per hoc vides, te (asserēdo quod  
Christus dicens, hoc est corpus meum, non  
ad id respexit quo faciebat, sicut ego dixi,  
& scripturis sacrī visitatum esse ostendi, sed  
ad id quod prius fuerat) non tantum esse in  
aperto errore, sed etiam te tibi ipsi manife-  
stè contradicere: aut certè ista duo inter se  
concilia: non potest verum esse, si accepta  
qua diicatur, hoc est vinum, nisi vi aliqua  
antē facta sit mutatio aquæ in vinum, & ta-  
men

M. BAI I RESPONSI.

men verum est quod accepto pane dicitur; hoc est corpus Christi institutione, etiam si ante horum verborum prolationem, non dum facta sit iam dicta institutio sacramenti, sed nunc primum his verbis fiat, quod ipsis verbis significatur.

4. Rogas quomodo Christus corpus suum fregit?

R E S P O N S I O.

Christus corpus suum, seu panem benedictum fregisse dicitur, quia sic fregit sacramentum quo corpus Christi tegebatur, ut licet corpus integrum & incorruptum permaneret, tamen non ab uno tantum, sed à pluribus sub sacramento lumeretur, non enim vni, sed omnibus discipulis ait Christus: Accipite & manducate, hoc est corpus meum; & si Dominus gloriè ratione humana ritaris, in qua lædi potuit, recte crucifixus esse dicitur, quid mirum si Christi corpus, ratione formæ panis, sub qua continetur, etiam frangi dicitur? Sed qui ad credendum tardi sunt, facile tergiuersationes querunt, quas Christi verbis opponant, sicut opposuit Zacharias, dicens: Vnde hoc sciamus quem Elizabeth latenter coarguens, ait B. Virgini: Beata quæ credidisti, quoniam perficiuntur quæ dicta sunt tibi à Domino.

M. BAII RESPONSIO.

3. Si verbis istis, hoc est corpus meum, sit transmu-  
tatio panis in Christi corpus, igitur verbum, est,  
relicta propria significatione proficeri positum est.

Posset alius simili modo dicere: Si Christus his verbis: Filius tuus viuit, filium reguli sanauit, igitur verbum, viuit, relicta propria significatione, pro sanus fit, ponitur. & si Lazarum his verbis è sepulchro eduxit: Lazarus veni foras; igitur verbum, veni, ponitur pro facio te venire. & denique si his verbis, hoc est corpus meum, efficitur ut hic panis sit sacramentaliter corpus Christi; igitur verbum, est, relicta propria significatione proficeri positum est: quasi Deus apud quē ab æterno sunt omnia, (nam quod factum est in ipso, vita erat) non possit mediante verbo, est, efficere ut quod ab æterno est apud illum, etiam ex tempore apud nos incipiat esse.

4. Argumentum, quo docetur verbum, est, in hac enunciatione, hoc est corpus meum, accipi pro esse sacramentum alter. Quotiescunque elementis terrenis spiritualium rerum nomen per verbum, est, attributum, verbum, est, non demonstrat substantiam, sed declarat quid fidei exhibeat, &c.

Dicis infra hac eadem responsione, verbi, est, unam & simplicem esse significacionem, ac subiungis: Semper namque verbum, est, significat esse, sed non semper sig-  
nifi-

M. BAII RESPONSIO.

nificat esse substantiam, aliquando quantitatem, aliquando qualitatem, aliquando relationem: quæ verba non tantum inter se, sed etiam cum hac ratiocinatione pugnare videntur. Inter se quidem, quia ubi analogia est, non est una & simplex significatio: sed verbum, est, non potest nisi analogicè pro substantia, & reliquis supremis rerum generibus enumeratis ab Aristotele in Categorijs accipi, quia alioqui esset unicum supremum rerum genus; igitur cum significat aliquando esse substantiam, aliquando quantitatem, aliquando qualitatem, aut relationem, non est eius simplex & una significatio, sed multiplex. Cum hac vero racionatione in hoc pugnare videntur haec verba, quod ratiocinatio prætendat panem à Christo demonstratum, corpus eius fuisse, non simpliciter, sed tantum sacramentaliter, & secundum quid. nam quemadmodum esse aliquid imaginariè, non est illud esse simpliciter, sed secundum quid: sic etiam esse corpus Christi sacramentaliter, non est esse Christi corpus simpliciter, sed secundum quid; ac per hoc significatio verbi substantiui, est, non tantum ex eo multiplex inuenitur secundum sententiam tuam, quia analogicè significat aliquando esse substantiam, aliquando

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

quantitatem, qualitatem, aut relationem, aut aliud supremum rerum genus: sed quia aliquando significat esse aliquid simpliciter, aliquando verò esse non simpliciter, sed sacramentaliter, seu significatiuè. Deinde non explicas in hac Christi sententia: hoc est corpus meum; an attributum, corpus meum, significet verum Christi corpus, an tantum signum, seu sacramentum corporis Christi. Nam si permetonymiam tantū significat signum, seu sacramentum corporis Christi, nihil opus est verbum substantiuum, est, nouo tropo, & in Rhetorica hactenus ignoto, explicare, dicendo quod significet esse sacramentaliter; si verò attributum, corpus meum, significat veram corporis Christi substantiam, tunc necessum est verbum substantiuum, est, à sua propria significacione destitutum, ut aliud significet, quam significare consuevit, cum simpliciter loquimur, nempe ut significet non simpliciter esse, sed esse sacramentaliter. Oro ut hæc digneris explicare, ne forte suspicemur te obscuris verbis eos, qui parui sensus sunt, velle deludere, & nouo tropo obnubilare, quod aperte eloqui, & in lucé proferre non audes. Sed nunc ad ipsum argumentum veniamus, quo conaris ostendere verbum, est, in hac Christi sententia, hoc est

M. BAII' RESPONSIO.

est corpus meum, debere accipi pro esse sa-  
cramentaliter, seu significatiuè, etiam non  
obstante, quod verbi, est, sit simplex & vna  
significatio, id quod tamen mihi videtur  
ænigmati simile. In primis itaq; in tua rati-  
ocinatione assumis vniuersale Axioma, Phi-  
losophiq; naturali & scripturæ sacræ prorsus  
ignotū, & nullo tamen scripture sacræ exem-  
plō, velut inductionis initio probatum: ne-  
que enim ullum aduerseris testimonium, in quo  
ostendas quotiescumque elementis terre-  
nis, spiritualium rerum nomen per verbum  
est, attribuitur, verbum substantiuum, est,  
pro significat, vel pro esse sacramentaliter,  
debere accipi, sed tantum asseris te existima-  
re esse Axioma perpetuum, & indubitatum.  
De quo tamen axiomate ego vehementer  
dubito, quia nullum videor mihi scriptu-  
ræ sacræ testimonium reperire, in quo ver-  
bum, est, à sua propria significatione trans-  
latū, pro verbo, significat, aut pro eo quod  
est significatiuè esse, ponatur. Nam ubi  
Christus propter aliquam proprietatis si-  
militudinem tropicè dicitur esse agnus,  
leo, ostium, serpens, vitis, lapis, aut aliud  
eiusmodi, non est tropus aliquis in verbo,  
est, quo à propria sua significatione trans-  
feratur, ut ponatur pro significat, vel pro  
esse sacramentaliter, sed tantū in ipsis attri-

## AD QVAEST. SANCT ALDEG.

butis. Ut igitur rem compendio colligam,  
in his duabus sententijs, hoc est corpus me-  
um, hic est sanguis meus, secundum senten-  
tiam tuam nullus est tropus in subiectis,  
qua à propria significatione transferantur,  
quia secundum tuam sententiam accipiun-  
tur pro pane & vino proprij nominis. Nul-  
lus etiam est tropus in verbo substantiuo,  
est, quia ut ipse confiteris, una & simplex est  
eius significatio, qua semper esse significat:  
igitur secundū sententiam tuam necessum  
est tropum reperire in attributis, corpus  
meum, sanguis meus: secundum quem tro-  
pum, transferatur à substantijs, quas pro-  
priè significant, ad earum substantiarum  
imagines & sacramēta. Rogo igitur ut testi-  
monium aliquod scripturæ sacræ proferas,  
vbi hæc attributa, corpus Christi, caro  
Christi, sanguis Christi, à significatione,  
qua substantias significant, transferantur,  
ut harum substantiarum imagines, seu sa-  
cramēta significant, ne forte tuo axiomati,  
cuius nullum profers exemplum præsenti  
negotio conueniens, ego aliud Axioma op-  
ponam, nempe: Quod in scripturis sacris  
non extet exemplum, in quo nomen ali-  
quod Christi substantiam, siue diuinam, si-  
ue humanam propriè significans, à sua pro-  
pria significatione translatum, elemento

aut

M. BAII RESPONSIO.

aut inanimatæ substantiæ tribuatur, ad significandam eius aliquam proprietatem. Nam licet Dominus apud Psalmistam, hominem ad suam imaginem conditum, & diuinæ naturæ confortem hoc honore associat, ut substantiæ suæ nomen tropo quodam illi commune faciat, dicens: Ego dixi, *psal. 81.* dij estis, & filij excelsi omnes; attamen non facile inuenietur tale aliquid inanimatæ substantiæ tribuisse.

7. *Qui panem benedicunt, vel de benedicto pane participant, non debent hærere in proposito pane, & poculo, sed eleuata mente per fidem considerare agnum Dei.*

RESPONSIO.

Quis nescit panem hunc benedictum, esse Christi morientis sacramentum? Vnde etiam mandatum est à Domino: Hoc facite in meam commemorationem; ut & offerentes hostiam salutarem, & participantes eleuata mente per fidem perpetuò in eam formam intenti sint, quam Christi corpus habuit, & in cruce per passionem, & in resurrectione per gloriam, & immortalitatem. Sed nunquid inde sequitur corpus istud in sacramento non contineri? Alia forma consideranda est, ut perpetuò habeatur passionis & resurrectionis memoria;

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

moria, sed non alia substantia, quam in sa-  
cramento ipso contineatur.

8. *Sicut cum de Sacramento agitur, iubemur acci-  
pere, & manducare corpus Christi, sic etiam Io-  
annis 6. dicitur: Nisi manducaueris carnem fi-  
lii hominis, & biberis eius sanguinem, non habe-  
bitu vitam in vobis. Sed apud Ioannem, testante  
Augustino, figura est praeципiens passioni eius esse  
communicandum, & suauiter atque viriliter re-  
condendum in memoria, quod pro nobis caro eius  
crucifixus, & vulnerata est: igitur etiam figura-  
ta sunt Christi verba, quibus ait: Accipite & man-  
ducate, hoc est corpus meum.*

RESPONSIO.

Verba Christi apud Ioannem, quæ non-  
dum instituto corporis & sanguinis Do-  
mini sacra mento, prima facie significa-  
bant carnem Christi eo modo esse mandu-  
candum, quo laceramus, & manducamus  
carnes boum, & arietum, iuxta Augustinū,  
simpliciter accepta, flagitium aut facinus  
iubent, & ideo figuratae accipienda sunt.  
Sed quia nihil tale iubent verba Christi of-  
ferentis corpus suum manducandum, &  
sanguinem bibendum, sub specie panis, &  
vini, ideo nihil opus est hic figura. Deinde  
quando ait Augustinus, figuratam esse lo-  
cationem, qua dicitur; Nisi manducaueris  
carnem filij hominis, & biberis eius

san-

M. B AII RESPONSIO.

sanguinem, non habebitis vitam in vobis,  
& Caro mea verè est cibus; nunquid dicit  
figuram esse in nominibus, carnem, & lan-  
guinem, an potius in verbo, manduaueri-  
tis, & in nomine, cibus, sicut & in nomine,  
panis, quod ibi transsumitur, ad significan-  
dum omne id quod vitam tribuit: sicut &  
in eo testimonio, quod ex Apostolo protu-  
listi, panis quem frangimus? Nondum igi-  
tur reperisti testimonium, in quo nomina  
hæc, corpus, caro, aut sanguis Christi, ad  
significandam imaginem carnis, aut san-  
guinis eius transsumantur, sed tantum in-  
uenisti aliarum vocum translationem, quæ  
designandis veri corporis & sanguinis Do-  
mini proprietatibus deseruiant, nempe ha-  
rum vocum, cibus, panis, manducae-  
ritis. Sicut enim esurire dicimur, quod  
vehementer desideramus: sic manducare,  
quo delectamur. Cuius difficultatis tibi  
conscius, hactenus videris voluisse tegere,  
quod in nominibus, corpus meum, & san-  
guis meus, figuram intelligeres, quam in  
scripturis sanctis inuenire non potes, &  
ideo illam in verbum, est, transferre voluisti.  
Sed quia etiam illius verbi figuratam tran-  
slationem à te prætensam, in scripturis  
sanctis inuenire non potes, ideo ad huc  
in luto hæres, nec inuenis, quomodo ex

scri-

## AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

scripturis sacris hanc controuersiam inter nos componas, etiamsi illam ex scripturis sacris componendam tibi libenter offeramus. Non enim sequitur: verbum manducaueritis, & nomina, cibus & panis, ad significandam aliquam veri corporis & sanguinis Christi proprietatem transferuntur, ergo etiam nomina hec, corpus meum, caro mea, & sanguis meus translumuntur, ad significandas harum substancialium imagines, aut sacramenta. Nec sub signo seruit, qui corporis & sanguinis Christi veritatem sub venerabilis sacramenti speciebus continet, si modo per species & ipsum corpus ac sanguinem ibi inuisibiliter contentum, formam passionis eius & resurrectionis recolat; sed potius Manichæis accedit, qui per corpus & sanguinem Christi, non corporis & sanguinis veritatem, sed imaginem duntaxat intelligendam præscribit, quia si non veritas, sed imago corporis Christi intelligitur, ubi ait Christus: hoc est corpus meum; quid prohibet etiam Manichæos dicere, quod vbiunque corpus & sanguis Christi nominantur, ibi non veritas, sed imago, seu phantasma debeat intelligi? Nec causam iuuare potest, quod super caput 6. Ioannis ait August. tract. 26. manducare illam escam, & bibere illum potum esse

M. BAII RESPONSIO.

in Christo manere, & illum manentem in se habere; quia ibi per escam & potum non intelligitur corporis & sanguinis nudum sacramentum, sicut intelligi vis per corpus & sanguinem Christi, cum ait Christus, hoc est corpus meum, &c, hic est sanguis meus: sed solum ostendit, quis sit modus manducandi veram carnem, & verum sanguinem, de quo ibi loquitur Christus; aut si ibi ullam carnis & sanguinis transumptionem inteligit Augustinus, non eam intelligit, quae est de veritate corporis & sanguinis Christi, ad signa corporis & sanguinis eiusdem, sed tantum quae est a capite ad corpus, id est, a Christo ad ecclesiam, ut cum dicitur, quod iste cibus, & potus sit societas sanctorum. Vnde nec vlo modo conformiter capiti 6. Ioannis loqueris, quando temetipsum virginis interrogas; an non reuera panis est corpus Christi? ac deinde respodes, est sanè, & tamen verissimè, non substantia, sed quoad significationem: quia apud Ioannem nullum est prorsus indicium, quod panis in sua substantia permanēs sit corpus Christi propter aliquam significationem, sicut videri vis. Sed Christus se & carnem suam panem & cibum nuncupat, quia cum pane & cibo similem habet proprietatem, quia videlicet dat vitam mundo. Iuxta quem modum, etiam

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

tiam pater ipse panis vocatur, cùm dicitur: Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meū, quia oblitus sum comedere panem meum. Non enim vocatur Deus panis Angelorum aut hominum ante lapsum, quia pane nostro visitato significatur, sed dicitur panis, quia in se sperantes, & sibi adhaerentes vivificat, sicut panis materialis vivificat se comedentes. Addis ex sacris scripturis multas metonymias, sed quæ causam non tangunt, quia nulla earum probat corpus & sanguinem Christi transferri ad significandum signa eorundem, etiam si ipsum sacramentum, sub quo Christus continetur, signum sit eius formæ, quæ in eius morte apparuit. Et quis ignorat omnia sacramenta esse signa? sed dum Caluinus ex hoc fundamento conatur ostendere ipsa sacramenta tantum esse signa, & nullum prorsus effectum habere, nisi quod significant, non autem quod nostram salutem operentur: eodem modo prorsus argumentatur, quo tu, sic colligendo: Sacramentum Eucharistiae est signum, ergo non est corpus, & sanguis Christi, cum utrumque sit, & signum Christi morientis pro mundi vita, & veritas corporis & sanguinis ipsius; sicut aqua in baptismo, & signum est, & aqua esse non desinit, sed simul aqua, & signum est: sed quando

M. BAI I R E S P O N S I O

do sibi relinqutur, tunc tantum aqua est,  
sicut dicit Augustinus; quid est aqua nisi  
aqua? quando vero sub certa verborum for-  
ma ad baptizandum adhibetur, tunc effici-  
tur visibile signum, nec tamen dici potest,  
quod desinat esse aqua, sed id vere dicere-  
tur, si aqua in vinum mutaretur. Verum tu  
æquitatem iudicij postulas, in eo quod dixi  
Apostolum dicentem: Panis, quem fran-  
gimus, nonne communicatio corporis Do-  
mini est? non velle dicere quid sit panis, sed  
quid participatione huius panis significa-  
tur, & efficiatur, quasi ego dixerim verbum,  
est, pro, significat, esse positum. Video  
enim hunc Caluini tropum, quo aliquid  
aliud esse dicitur, quia ipsum significat, ita  
animo tuo impresum, ut vix que quam di-  
ci queat, quod non statim eo trahas. Dixi  
igitur in eo quod dixit Apostolus, panis  
quem frangimus, non significari, quid sit  
panis, sed quid participatione huius panis  
efficiatur, non exponendo verbum, est, per  
significat, sed ostendendo, cuius rei sacra-  
mentum sit, coonestio huius venerabilis  
sacramentis: quasi dicas, panis quem fran-  
gimus, id est sumptio panis benedicti, est  
participatio, seu sumptio corporis Domini  
& simul omnium nostrorum cum ipso unio,  
id est, unionis sacramentum, & causa. Pu-

**AD QVAEST. SANCT. ALDEG.**

to enim huius transsumptionis tropum ti-  
bi ignotum non esse, secundum quem eti-  
*Cor. i. 1.* am dicitur, quod Christus factus sit sapi-  
entia, & iustitia, id est, sapientiae & iustitiae  
causa.

**9.** Dicit Augustinus de doctrina Christiana lib. 3.  
cap. 9. Miserabilem esse seruitutem, signa pro re-  
bus accipere.

**R E S P O N S I O.**

Signa pro rebus non accipit, qui in tre-  
mendo Eucharistiae sacramento corporis  
& sanguinis Christi presentiam agnoscit,  
presentium simul intelligat, ipsam Eucha-  
ristiam esse etiam passionis Christi memo-  
riam, quia & rei significatae veritatem ag-  
noscit, & per sacramentum, quo significan-  
do referatur, intelligit. Seruitus est, ubi  
quod signum est, res tantum esse putatur  
non ubi signum agnoscitur, mentisq; ocul-  
lus ad diuina erigitur, & res quo illo signo  
restitutur, non ignoratur, sed honoratur.

**10.** Addis, Christum in omnibus sacramentis nos  
renovare ad ascensionis sua in celos consideratio-  
nem, ac proinde non est nobis de substantiarum  
corporalium transmutatione laborandum.

**R E S P O N S I O.**

Quod si alius dicat, Christum sua incar-  
natione & omnibus miraculis, quae in terris  
fecit, nos ad cognitionem & amorem cœ-  
lestium

M. BAII RESPONSIO.

lestium reuocare, igitur non esse contra Manichæos, neque de veritate incarnationis, neque de veritate miraculorum laborandum, sed etiam de ijs, ad quæ nos per ista reuocat. Videlicet in quæ prærupta nos eiusmodi argumenta præcipitent?

¶ 1. *Paulus infinitis locis panem post consecrationem non minus panem appellat, quam ante, igitur euertit commentum transsubstantiationis.*

R E S P O N S I O.

Christus apud Ioannem se panem appellat: Ego sum panis viuus qui de cœlo descendit; igitur euertit suæ diuinitatis atque humanitatis veritatem. item dicit: Panis quem ego dabo, caro mea est; igitur euertit carnis datæ in cruce veritatem. Si autem & Christus, & caro eius, panis seu cibus verissimè dicitur, quia dat vitam mundo, quare non potest simili tropo etiam panis benedictus, & in corpus Christi conuersus, panis nuncupari, etiamsi post benedictionem non remanserit substantia panis, sed forma panis remanente, versa sit in corporis Christi veritatem?

Post hæc profers aliquot sanctorum patrum testimonia, quibus videri vis, eos suo tempore sensisse ac docuisse sententiam, quam tueris. Sed quia his ante annos ferè quingentos per Lanfrancum, Guitmundum,

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

dum, Algerum, & nostro sèculo per Ioan-  
nem Heslielium, aliosque plures, plenissimè  
satisfactum est, productis etiam longe plu-  
rius, pluribusque ac manifestioribus sen-  
tentijs, quibus manifestè probantur id &  
docuisse, & sensisse, quod usque in hodier-  
num diem sentit & docet Ecclesia catholi-  
ca, id quod & ipse satis videris agnoscere,  
quando fateris eos interdum hyperbolice  
de hoc Sacramento locutos. Nam quod a-  
perte & simpliciter dixerunt, hos videris  
hyperbolice dictum interpretari, ne cogaris  
fateri esse mendacium. Quia igitur his pa-  
trum testimonij per alios satis responsum  
est, ideo his prætermisis ad illud transeo,  
quod ait in fine tuæ responsionis;

12. Horrendam Gotthorum vastationem, Ecclesi-  
am corrupisse, ipsamque Romanorum Pontificum  
fulminibus territam, inuexisse doctrinam de træ-  
substantiatione.

R E S P O N S I O.

Obsecro ex qua scriptura sacra aliquan-  
do didicisti, Ecclesiam Christi, persecutio-  
nibus esse corruptam, & non potius à vitijs  
& erroribus, qui dormientibus hominibus  
tempore pacis irrepere solent, veluti à om-  
no excitatam, & purgatam, promittente  
Domino apud Psalmistam: Si derlique-

rint

M. BAII RESPONSIO.

rint filij tu ilegem meam, & in iudicijs meis *Psalm. 88.*  
non ambulauerint, si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo neque nocebo in veritate mea. Non enim continet Deus in ira misericordias suas, sed corripit in misericordia & miserationibus. Sicut etiam Ecclesia orat apud Psalmistam *Psalm. 6.*  
Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Non enim in ira corripit, quando ad hoc corripit, vt emendet & purget palmites in se fructum facientes, vt fructus plus afferant. Vnde etiam confidenter dicit: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt fructu videlicet, qui ex flagellis nascitur. Bonum mihi, in *Psalm. 118.* quiet, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas, De quo Apostolus: In disciplina perseverate, tanquam filijs vobis offert se Deus. & rursus apud Psalmistam: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, *Psalm. 128.* dicat nunc Israel, id est, se antiquis exemplis in persecuzione consoletur: sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi, scilicet nocere, sed potius prodesse, quia maior seruiet minori, & *Genes. 26.* omnis iniquorum persecutio consumitur,

AD QVAEST. SANCT. ALDEG.

operando salutem iustorum : disciplinam Ecclesiae non persecutio , sed pax longa corruptit. Vnde Prosper in Sententijs: Inimici Ecclesiae quolibet errore carentur, si accipiunt potestatem corporaliter affligen- di, exercent eius patientiam : si tantummodo male sentiendo aduersantur, exer- cent eius sapientiam; & etiam ut inimici di- ligantur, exercent eius benevolentiam, quia Deus ijs, qui eum diligunt, omnia coopera- tur in bonum. Sed & ipse memoria repe- tens, quæ ab annis 56. vidi, quando autho- re Luthero , cœpit hæresis has inferiores prouincias infestare , inuenio & abbatias monachorum, & capitula canonicorum, & multitudines inferiorum clericorum, & tur- bam laicorum, ab innumeris & nefandis sce- leribus esse repurgatas : quæ facile possem explicare , si luberet in hominum vitijs ex- patiari. Noli ergo Sanct. Aldegonde fra- ter, noli existimare, Ecclesiam Christi suis- se Gothorum vastatione corruptam, aut extinctam, vt perniciosum errorem de trans- substantiatione susciperet, suscepturnque defendeter, sed crede suisse à somno exci- tatam & purgatam, vt nascenti errori cir- ca tremendum Eucharistiae Sacramentum, sele sincerè & constanter opponeret, & fi- dem Catholicam non tantum verbo , sed etiam

M. B A I I R E S P O N S I O.

etiam celebri festiuitate, & conuenientibus ritibus, toto orbe terrarum concordibus animis prædicaret, sicut hodie transactis quingentis annis ab exorto errore, constantissime prædicat. Hæresum & schismatum est, instar torrentis subito extolli, & sedata tempestate paulatim deficere, sicut testatur Psalmista: Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani, & transiui, & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Sicut defecerunt Donatistæ, qui de ducentis septuaginta Episcopis gloriabantur: defecit Berengarius, & post eum Hus & V Viclef, imo & ipse Lutherus magna ex parte, recedentibus ab eo Carolstadio & Zuinglio, qui sine episcopis & presbyteris, alijsque sacris ordinibus in sacra Scriptura commendatis, sine concilijs in Euangeliō à Christo propositis, vendendi videlicet omnia quæ possidentur, & castrandi se propter regnum Dei, filiorum ab Ecclesia recendentium turbam coaceruantes, Caluino sectam parauerunt, quæ an diu subsistet, an vero degenerabit ad sectam Anabaptistarum, sicut Lutherana degenerauit ad sectam Caluinistarum, nouit altissimus, qui ad nostram correptionem & purgationem, illam sectam & alias permisit exur-

*psal. 36.*

*Math. 19.*

AD QVAEST. ALD. M. B. RESP.

gere: quæ aut non flagellátur, recedente ab  
eis zelo Domini, aut flagellis non emandan-  
tur, sed proficiunt in peius, errantes, & in er-  
rorem mittentes: Christi verò Ecclesia, ad-  
uersus quam portę inferi non præualebunt,  
stabit in æternum, & licet aliquando velut  
obnubiletur multitudine scandalorum, &  
falsorum fratrum, qui orta persecuzione  
exeunt, & instar palearum, vento flante huc  
atq; illuc rapiuntur: attamen etiam tunc in  
suis firmissimis eminet, vt nunquam abs-  
condatur ciuitas super montem Christum  
posita, sed semper & bonis ad consolatio-  
nem, & malis ad persecutionem satis  
sit nota, & ab hæresibus, schis-  
matibusq; discreta. Bene  
vale 7. Ianuar. Anno

1578.

F I N I S.

REVE-

# REVERENDO PATRI ABBATI PARCENSI

*Michael de Baij.*



Euerende Pater, sentio  
fratres vestros, & totam fa-  
miliam vehementer con-  
tristari, propter longam  
absentiam tuam. Et quan-  
tum mihi videtur, non im-  
meritò contrastantur: non tantum propter  
detrimentum, quod ex hac absentia tua, &  
in spiritualibus, & in temporalibus patiun-  
tur; sed etiam propter periculum consci-  
entiæ tuae, quam putant, sicut & ego puto,  
non posse diutius sine graui peccato ab o-  
uibus suis abesse. Quis enim nescit, pasto-  
rem in tantis difficultatibus & periculis  
debere suo gregi adesse; imo etiam pro illo  
animam ponere, quando non patitur  
peculiarem persecutionem præ fratribus  
suis?

Cui accedit, quod satis intelligam te con-  
sensisse & iuramento firmasse unionem sta-  
tuum, etiam cum ijs, qui se Romanæ, & Ca-  
tholicæ

## EPISTOLA

tholicæ Ecclesiæ Desertores profitentur, sub principe Aurora tanquam Gouvernatore Brabantæ, & Vicegouvernatorc omni- um prouinciarum inferioris Germaniæ: nō obstante, quod se palam Bruxellæ Caluini- stam professus sit. Id quod (pace tua di- cam) quantum mihi videtur, nec per te, nec per consortes tuos, sine graui scelere fieri potuit.

Primum quidem propter manifestum scandalum. Nam usque ad id tempus, Ordines huius patriæ semper unanimiter iactauerunt se velle manere, non tantum sub obedientia Regiæ maiestatis, sed etiam in fide Romana Catholica: quærebanturque si bimagnam iniuriam fieri, quod & summo Pontifici, & Catholice Maiestati, per quosdam intelligebant aliud suggeri. Nunc vero per hanc unionem cum subtractionis filijs in perditionem, sub homine, qui se palam hereticum profitetur, proprioq; se iudicio condemnat, non tantum summo Pontifici, & Regiæ Maiestati, sed etiā omnibus cordatis fidelibus ingeritur manifesta suspicio quod ab utraq; illa sua professione Ordines recesserint; aut certè ad illudendum fidelibus, nō animo, sed verbis duntaxat professi sint quæ sunt professi. Eo quod hæc unio cum ijs, qui se palam vocat Desertores Ro- manæ

MICHAELIS BAIL.

manæ & Catholicæ religionis, sub homine  
qui se palam Caluinistam profitetur, dire-  
cte tendat ad contemptum Regiæ Maiesta-  
tis, subuersionem Catholicæ fidei, & exter-  
minium sacerdotij, quod Caluinistæ cane-  
peius & angue oderunt.

Et cum nemo possit sibi superiorem af-  
sumere, nisi in eum finem, ut eius vigilantia  
& solicitudine in suo sancto proposito iu-  
uetur & defendatur: ( nempe Christianus  
catholicus, in vera Christiana religione; &  
monachus in professione monastica, &c.)  
quomodo reclamante prima ciuitate Bra-  
bantiæ Louanio, & alijs multis viris illustri-  
bus, ( quorum nonnulli ob eam causam, si etis  
mendacibus litteris, putantur Gandavii in-  
vincula coieisti, & adhuc detineri) potuisti  
& vobis, & nobis hominē praeficere, quem  
iam certò sciebatis, & Catholicæ religioni,  
& monastico instituto vestro, ex professio-  
nē inimicum? iisque ministris potissimum  
tentem, qui ob hæresim sunt veræ pietatis  
aduersarij? quique aut statim omnē pietatis  
speciē templis abolent ( sicut tota Hollan-  
dia & Zelandia testatur) aut tantisper dis-  
simulando permittunt, donec quæsitis oc-  
casionibus, sine tumultu possint ( sicut in  
Caluinismo iurarunt ) ad eius subuersio-  
nem peruenire. Imitantur enim Julianum

## E P I S T O L A

apostatam, qui initio non palam persecu-  
tionem in Christianos exercebat: sed po-  
pulis quæcumque vellent, in eos commit-  
tere permittebat, aut etiam clam manda-  
bat, & maximè in clerum; vt sublatis duci-  
bus, plebs in obliuionem religionis facilius  
deueniret. In hoc tantum Juliano dissimi-  
les, quòd ille nullum iuramentum de con-  
seruanda religione præstisile legitur; vt  
Auraicus Princeps cum asseclis suis, qui, vt  
Catholicis imponant, & quiduis facile iu-  
rant, & opportunitatem naëti, iuramenta  
pro ludo habent. Hinc ad conseruandas  
ciuitates singuntur necessaria esse templo-  
rum, cœnobiorum, & aliorum locorum ad  
pietatem institutorum incendia; idq; con-  
fractis prius imaginibus, & conculcatis, prô  
dolor, sacramentis. Hinc à sacerdotibus &  
monachis exiguntur illicita iuramenta; vt  
aut exules siant, eosq; tum bonis omnibus  
exuant, aut impietati consentiant. Hinc ci-  
uitatibus, & militibus præficiuntur hære-  
tici, aut erga Catholicos veterisq; religio-  
nis cultores male asseeti; vt eos onerando  
multitudine militum, & varijs modis vexan-  
do eo compellant, vt malint miserè in exi-  
lio viuere, quam in paternis auitisq; ædibus  
tot ærumnis exerceri.

Porro sicut Princeps Auraicus suscep-  
tus

MICHAELIS BAIL.

rus Bruxellæ gubernationem Brabantiaæ, dicitur iurasse conseruationem Romanæ & Catholicæ religionis in ciuitatibus Brabantiaæ, sic etiam ingressus ab expeditione Montensi in Hannonia, & proficiscens in Hollandiam, Mechliniæ (me etiam audi- ente) professus est, se non venisse in hanc patriam cum exercitu, ut aliquid immu- ret, aut sacerdotes, monachos, & alios cle- ricos de suo loco deturbaret; sed tantum, ut liberaret patriam à seruitute Hispanica: quam religionis conseruationem, etiam quibusdam ciuitatibus Hollandiæ iurauit. Obsecro ut in Zelandia, aut Hollandia vel vnus pagus, qui se tunc eius subiecit impe- rio, designetur, in quo seruata sit supradic- ta professio?

Fiunt hæc quidem plerumque tumultu quodam phanatico, per homines seditio- sos siue subornatos, ut multi persuasum ha- bent, siue vltro currentes: sed quomodo- cunque fiunt, certè imperante Principe Au- raico fiunt, idque impunè, quæ illo prius non imperante non siebant; & postquam semel facta sunt, non emédantur. Et quan- to ingeniosius, artificiusq; fiunt, tanto ma- nifestius produnt mysterium iniquitatis, quod nunc operari testatur Apostolus; do- nec reueletur ille iniquus, cuius hi præcur- 2, Theff. 2.  
sores

## E P I S T O L A

seres esse videntur, omnibus speciosè libertatem religionis promittentes, saltem donec principatum obtineant, & manifestam tyrannidem exercere queant: & illam libertatem soli impietati (hoc est, Calvinisticæ sectæ, alijsque sibi gratis hæresibus tantummodo) permittentes. Cum enim Catholica religio haec tenus libera fuerit, quid promittendo libertatem religionis intelligere possunt, nisi tyrannidem hæreticam, qua Catholicam religionem extinguant?

2.Corin.7.

Clamat Apostolus: Nolite iugum duce-re cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiae ac iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infidelis? Et nos temporalem utilitatem prætexentes, vtro nobis præficiimus hominem, qui palam se hæreticum, id est, lupum profitetur: vt hæreticorum communionem semel ingressi, à Christi societate Regisque obedientia separemur; & vt ipse noua potestate adiutus, fidem Catholicam facilius extirpet, & suæ tyrannidi resistentes etiam malis artibus sub prætextu iustitiae oppri-mat. Nam ex hac causa antiquissimo iure constitutum est, vt subditus fidelis non teneatur obedire superiori, si à fide Catholicæ manifestè defecerit, ne videlicet potestas,

MICHAELIS' BAI

testas, quæ fidelibus ad ædificationem da-  
tur, iam factis hæreticis, ad destructionem  
& subversionem fidei patrocinetur, & ser-  
uat.

Cum patria hæc nuper maximo turbata de pace  
disidio, propter vim exterorum, qui puta-  
bantur eam velle exterminare, & in extre-  
mam seruitutem redigere, in maximo peri-  
culo versaretur, ne forte Auraicus (qui cum  
suis tum temporis in armis erat) magnam  
eius partem iam armis destitutam occupa-  
ret, & occupatam Catholica religione spo-  
liaret, sicut prius in ijs Hollandia, Zelan-  
dia &que partibus fecerat, quæ se illi subiece-  
rant: ad vitandum tantum malum, multis  
viris bonis cosentientibus, inita est quæ-  
dam pax statuum harum prouinciarum  
cum illo, & statibus illi subiectis. Quam pa-  
cem multi pij & eruditii viri, attento rerum  
statu, qui tum erat, cum iniaretur, etiam po-  
stea Catholice fidei utilem fore putau-  
runt, sicut subscriptionibus suis testati  
sunt: tum quin Auraicus cum suis sub-  
mittendo se ordinationi generalium statu-  
um, quoad exercitium religionis in Hol-  
landia, Zelandia, & Romelia, magnam re-  
conciliationis spem prebebat (erant enim  
tum reliqui status harum prouinciarum  
**Catholici**, & quavis occasione data, semper  
pro.

## EPISTOLA

protestabantur, se velle retinere fidem Ca-  
tholicam, & Catholicæ Maiestatis obedien-  
tiā) tum etiam, quia per hoc subscri-  
bentium testimonium videbant futurum;  
vt D. Austriacus in Gubernatorem facilius  
fusci pereretur, faciliusq; sic congregatis sta-  
tibus generalibus in Hollandia & Zelan-  
dia religio Catholicæ instauraretur. Sed si-  
cūt Lutherani, viuente clarissimæ memo-  
riæ Carolo Quinto, vt obtinerent quæ pe-  
tebant, sese concilio generali dolose submi-  
serunt, hoc modis omnibus agentes, vt nul-  
lum concilium vñquam cogeretur: sic etiā  
ferò discimus, ipsum A uraicum cum suis, ni-  
bil minus quam generalem statuum con-  
gregationem, reconciliationem, aut patriæ  
tranquillitatem intendisse; sed omnia do-  
losè egisse, vt patriā malis artibus à fide Ca-  
tholica, & Regiæ Maiestatis obedientia a-  
uocatam, suæ tyrānidi tanquam alter Iero-  
boam subijceret. Quæ malitia si tunc satis  
innotuisset, puto quod dicta pax neq; ini-  
ta, neq; à viris bonis fidei Catholicæ utilis  
iudicata fuisset. Sed nō est nouum viros bo-  
nos hæreticorum perfidia & astutia deludi:  
sicut ex concilio Ariminensi, & plurimis hi-  
storijs, atq; etiam recentibus exemplis (vel  
sola illa in Amsterdamenses & Harlemens:  
hæreticorū perfidia) nimis manifestū euasit.

In-

MICHAELIS BAI

Intelligo ex vrbe missam excommunicatiōnem in omnes supradiētā vniōnis partícipes, qui ad saniōrem mentem redire nō līnt. Quā metuo etiam in te nominatā exequendā nīsi redieris: & fortē non im-meritō. Quia si olim tempore D. Cypriani pōnitentiam publicam agebant, qui timo-re mortis dato pretio libellos accipiebant, quibus viderentur satisfecisse edictis ferali-bus de colendis idolis, licet thus non adole-uissent, nec cibos immolatos degustassent, putantes, quia os & manus pollutas non ha-behant, etiam conscientiam simulatione pollutam non esse: quanto magis puniri me-rentur, qui suo consensu, aut dissimulatio-ne totam patriam, etiam magna ex parte in-uitam, in consortium & subiectiōnem, seu potius tyrannidem hominis aperte hæretici, & in manifestū hæresis periculum per-traxerūt, quiq; cognita veritate, recusant contrario factō destruere, quod malē con-struxerunt: ino etiam legittime iussi & re-quisiți, proprium officium præstare recu-sant; ne fortē iniquitatis colortium, à quo seducti sunt, offendant,

Nec tantum scelus abluit, quod huic v-nioni humano quodam timore consensi-sti, quia & ipsi Libellatici apud D. Cypria-num, de quibus supra locuti sumus, timore

## EPISTOLA

& errore faciebant: quod faciebant, & tam  
men non recipiebatur eorum pœnitentia,  
nisi aut iusto tempore in ea perseuerassent,  
aut vrgarentur mortis periculo: quorum  
tamen crimen videtur mihi vestro longè  
leuius.


Cura igitur, ut quod errore & infirmita-  
te peccatum est, quantum te concernit, ma-  
nifesta detestatione emendetur, palam eos  
damnando, quorum errori consensisti; &  
pœnitentiæ viam illis ostendendo, qui tibi  
ad latus duces extiterunt. Nec legitime  
& insufficienter requisitus, debitum offici-  
um deneges, timens, ne sorte eos offendas,  
qui te tam graui vulnere affecerunt: sed li-  
bera voce profitere, quod secundum Deum  
sentis. Præsta gregi tuo debitum ministeri-  
um, & facto tuo restitue patriæ consilium,  
quod in hac vnione constanter dare debu-  
isti: sicut dederunt prælati Iannoniae, qui  
huic vnioni recusarur consentire: & sicut  
dedit Academia Louaniensis, quando re-  
spondit se non posse præstare iuramentum,  
quod hanc vnionem firmare videbatur.  
Festellit te humanus timor in admittenda  
culpa, non te fallat in agenda conuenienti  
pœnitentia nunc præsertim, quando ini-  
quitatis consortio videtur etiam manife-  
sta hæresis accessisse, per D. Augustinum  
con-

## MICHAELIS BAI

contra literas Petiliani, & contra Cresconium Grammaticum olim ex professo destructa; nempe quod hæretici nulla sint correctione puniendi, sed suo arbitrio relinquendi: eo quod fides sit Dei donum. Nam hæresis ista continetur libello Antuerpiæ edito auctoritate Illustrissimi Archiducis Austriae, qui ex suæ receptionis formula merito prælumitur hanc editionem non admisisse sine consensu ordinum patriæ: qui etiam iurauerunt, se modis omnibus impedituros, ne quis aut Catholicos aut hæreticos verbo aut facto, molestia propter suam fidem afficiat. Nam hoc iuramento manifestè significant, se omnino intendere unumquemque suo arbitrio relinquere, ut credat quod volet; sicut videtur libellus iste prætendere. Est quidem fides Dei donum, sicut & cæteræ virtutes, quibus bene vivitur, & à vitijs abstinetur; propter quod ordinandum est, ut Deus incredulis fidem tribuat, sicut & cætera opera virtutum, quibus bene vivitur: sed est etiam opus liberæ arbitrij; propter quod & verbis, & supplicijs admonendum est liberum arbitrium, ut contra Euangelij prædicationem, cor suum non obduret, nec resistat verbo veritatis; quia seruus verbis non potest erudiri: multo autem minus obstinatus hæreticus.

EPISTOLA MICH. BAIL.

Scripsit D. Augustinus contra hunc errorem etiam libellum de Correptione & gratia, ostendens non propterea negligendam esse disciplinam; quia gratia, & donum Dei gratuitum est, ob quod neglectum quispiam corripitur: sed & diligenter orandum esse, ut Dei donum tribuatur: & nihilominus docendum, admonendum, & corripendum liberum arbitrium, ut opus hominis esse comprobetur,  
quod etiam à Deo sup-  
pliciter postu-  
latur.



DE

# DE IVRAMEN- TO, QVOD IVSSV ORDINVM INFERIORIS GER- maniae, à Clericis, & Monachis exigitur.



T autem intelligatur, cur  
suprà illicitum dixerim iu-  
ramentum, quod iussu  
ordinum patriæ, per infe-  
riores magistratus ciuiles,  
à Clero, & Monachis, sine  
iudicio priuilegiorum, & libertatis Ecclesi-  
astice (sicut iridendo ecclesiasticos dicere  
videtur) exigere iuslum est: diligenter in-  
tuendum est, quid ipsum iuramentum in se  
contineat. Imprunis enim continet affir-  
mationem, seu comprobationem pacis  
Gandauensis, cum declaratio, & assecu-  
ratione subsecuta: quæ declaratio conti-  
net expressam vniōnem iurantium, cum ijs;  
qui se vocant Desertores Romanæ, & Ca-  
tholicæ religionis. Igitur qualiscunq; iam  
habenda sit pacificatio Gandauensis: atta-  
men quisquis hoc iuramentum præstiterit,  
eo ipso, saltem ratione declarationis postea  
subsecutæ, communione iungitur cum ijs,

## DE IVRAMENTO

qui se vocant Desertores Romanæ Catholice religionis; ac per hoc recedit à communione Ecclesiæ Catholicæ, quæ cum manifestis, & suo iudicio condemnatis hæreticis communionem habere non potest, fitque schismaticus.

Secundò continet, quod iurans ad hoc totis viribus laborabit, ut neque Catholicæ hæreticis, neque hæretici Catholicis ob religionis causam facto vel verbo ullam inferant molestiam. Quám sollicitè huic parti satisfacere studeant hæretici, nimis manifeste & plurimorum ingenti dolore offendunt Amsterdam, Harleimi, & alijs pluribus locis. Sed quisquis episcopus, aut presbyter hoc iuramentū præstiterit; nōne se astrin-  
*2. Timos. 4.* git, ut nō pareat Apostolo scribenti Timotheo: Testificor corā Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos, & mortuos; per aduentum ipsius, & regnum eius: prædicta verbum, insta oportune, importune, argue, obsecra, increpa cum omni patientia, &

*Titum. I.*

dure, ut sani sint in fide. Nam hoc iuramento constrictus, ne verbo quidem importunus esse poterit; aut eos increpare, qui à veritate defecerint, aut ei restiterint: aut si quid tentauerit, statim prætextu periurij, coniçietur in vincula, aut mittetur in exilium

## CLERICORVM.

lium: immo tenebitur eos contra quemcumque defendere, si forte propter religionem hereticam impetantur. Potest quidem episcopus, aut presbyter certis temporibus & locis veritatem reticere: sed nunquam potest iurare vel vocare, quod eos non docebit, neq; increpabit, qui veritati restiterint, & multo minus, quod eos contra quemcumque in sua impietate defendet: quia hoc est direcione impio in sua impietate praebere auxilium.

Tertio, decretum ordinum promissum exigit, quod iurans corpore & bonis cooperabitur Archiduci Matthei, id est, Principi Auraico, qui sub eius nomine imperat, ad ejiciendum D. Ioannem Austriacum ex hac patria cum omnibus illi cohaerentibus. Hic ciuilē questionem non discussio: An ordines huius patriæ, iustas & sufficientes causas habēant insectandi Serenissimum Principem D. Ioannem Austriacum, à Catholica Maiestate constitutum generalem huius patriæ Gubernatorem, & ab ipsis metu ordinibus semel unanimi consensu suscepimus: an potius quæsitas, & à Principe Auraico confictas, suggestas, & malis artibus vulgo male persuasas; ut sub nomine Archiducis, instantibus hominibus seditionis, toti patriæ præficeretur,

## DE IVRAMENTO

& eiusdem spolijs adiutus, Catholicæ Ma-  
iestatis potentia facilius resisteret: Hoc so-  
lum nunc inquiero; An Clericis & Mona-  
chis liceat militem agere, ac corpore & bo-  
nis quempiam è patria fugare. Hoc olim  
conatus est Julianus Apostata, cogens cle-  
ricos & monachos ad militiam: sed eius co-  
natus ab Ecclesia damnatus est. Cùm ita-  
que Clericis non liceat militare; manife-  
stum est iniquam esse constitutionem, qua  
iubentur promittere, sc̄ tanquam milites,  
corpore & bonis cooperaturos, ut D. Ioan-  
nes Austriacus cum omnibus sibi cohæren-  
tibus toto Belgio exturbetur.

Sed dicet quispiam, plerisque locis, per  
magistratus seculares, qui adhuc fideles dici  
volunt, & iurādi formam, ab ordinibus pa-  
triæ clericis propositam, forsitan erube-  
scunt, à clericis non eam iurandi formam  
exigi, quam ordines præscriperunt; sed a-  
liam quandam mitiorem. Certè qualiscun-  
que forma exigatur; difficile est eos, qui iu-  
rant, non ingredi communionem cum ijs,  
qui se vocant Desertores Romanæ Catho-  
licæ religionis ( quibusdam ordines huius  
regionis arctissimis iuramentis constricti  
sunt, quosque contra quemcunque etiam  
in sua heresi defendere iurauerūt) & schis-  
mate non inquinari. Sed demus, per quoſ-  
dam

## CLERICORVM

dam magistratus seculares, à suæ ditionis clericis iuramentum exigi, quod neque communionem cum Hæreticis contineat; neque impedimentum Euangelicæ prædicationis, & correptionis, quam ab Episcopo requirit Apostolus; neque etiam promissionem cooperandi ad ejiciendum D. Ioannem Austriacum, cum adhærentibus, sed tantum quod Clerici erunt suo ministerio contenti, nec quicquam molienter aduersus eos, qui communem hostem D. Ioannem Austriacum, cum adhærentibus, propulsabunt: adhuc tamen impium est iuramentum. Non quia per se impium est, quod iuratur; sed quia ad hoc iuratur, ut impio de creto, quod plane dammandum, ac fugiendum fuit, aliquo modo pareatur. Habet enim impietatis speciem, & suo exemplo ad impietatem dicit. Qui vult videri propositis contra Euangeliū vel edictis, vel legibus satisfecisse, inquit Cypr. hoc ipso iam Epist. 31. paruit, quod videri paruisse se voluit. Vnde nec solos thurificatos, qui sacrilegis idolothitorum cōtaetibus manus suas atque ora maculassent, criminis dicit obnoxios: sed etiam Libellaticos, qui nefandis libellis conscientiam polluissent, dando videlicet pecuniam idololatriæ exactoribus, & literas satisfactionis accipiendo, ne ulterius ad

## DE IURAMENTO

thurificabundum vrgerentur. Licet igitur  
æquari non debeat, qui impium iuramentū  
per ordines patriæ decretum & iussum præ-  
stítit, ei, qui vt impio decreto satisfecisse vi-  
deatur, conniuente ciuili magistratu, aliud  
quippiam, alio qui licitum, iurauit: attamen  
vterque lapsus est, & impio decreto con-  
sensit; alter iurādo quod impium est, alter  
simulando, & alios suo exemplo ad impium  
iuramentum prouocando. Vnde Cypr. de  
exhortatione martyrum cap. 11. Ne quis li-  
belli, inquit, nec alicuius rei oblata sibi oc-  
casione, qua fallat, amplectatur decipientiū  
malum munus: nec Eleazarus tacendus est;  
qui, cū sibi offerretur à ministris regis fa-  
cultas, vt accepta carne, qua liceat vesci, ad  
circumueniendum Regem simularer se illa  
edere, quæ de sacrificijs, atque illicitis cibis  
ingerebantur, consentire ad hanc fallaciam  
noluit, dicens nec ætati suæ, nec nobilitati  
conuenire id fingere, quo cæteri scandaliz-  
zarentur, & in errorem inducerentur. Nec  
iurantes excusat, apud exactores quævis ante  
iuramentum præstitum facta protesta-  
tio, quia & ipsi Libellatici apud exactores  
idololatriç, teste Cyp. pulcherrimam prote-  
stationem premittebant; & tamen non ca-  
rebant criminē: tum, quia volebant videri  
satisfecisse iussioni, quam auersari debue-  
rant:

rant tum etiam, quia alios ad satisfaciendū prouocabant. Sic enim ait Cyp. epist. 52. Quād acerba duritia, Libellaticos cum ijs, qui sacrificauerint, jungere? quando is, cui libellus acceptus est, dicat: Ego prius legeram, & Episcopo tractante cognouerā, non sacrificandum idolis, nec simulachra seruum Dei adorare debere; & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat (cū occasio libelli fuisset oblata, quem nec ipsum acciperem, nisi ostensa fuisset occasio) ad magistratum vel veni, vel alio eunte mandaui, Christianum me esse, sacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non posse, dare me ob hoc p̄mū, ne quod, non licet, faciam. Nunc tamen etiam iste, qui libello maculatus est, posteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse; & si manus pura sit, & os eius feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen eius esse pollutam, flet, auditis nobis, & lamentatur. Ecce qualem protestationem, Cyp. teste, faciebat Libellaticus, priusquam satisfactionis libellum redimeret; & tamen dando pretiū, ne faceret quod impie mandabatur, recedebat mente pollutus: quia si non manifesto crimine, certe errore deceptus id fecerat, quod non licebat: sicut etiam hoc tempore faciunt, quicunq;  
ma-

1510098  
DE IVRAMENTO CLER.

magistratibus vrgentibus quippiam iurant,  
vt iuſſioni ordinum patriæ cum hæreticis  
iunctorum aliquo modo ſatisfeciffe puten-  
tur, & deinceps ad iurandum non vrgean-  
tur; etiamſi alioqui licitum fit, quod iura-  
uerint. In hoc tamen diſſerunt, qui licitum  
quippiam iurant, ab ijs qui res iurant illici-  
tas; quod hi iurantes, quod facere non pos-  
ſint, periuri ſint, ſicut docet Aug. in ſer. 117.  
in ijs, qui Louanij recenter imprefi ſunt: il-  
li verò minimè; ſed tantum in hoc peccant,  
quod impio decreto aliqua ex parte con-  
ſentiunt, & ſuo exemplo alios ad conſen-  
tiendum inuitant, ſicut diximus. Quod ſu-  
pererit, opto R. T. P. rectiſſimè valere, & fa-  
lutaribus confilijs ſemper auſcultare. Lou-  
uanio.

In credendi libertatem.

Liber a Religio quamprimum intravit in orbem,

Pelluntur ſubito pax pietasq; ſimul.

Liber a Religio ni mox exceſſerit orbe,

Aſperius miferos bella futura prement.

F I N I S.

A 1510098  
ocn68854619

